
Deus scientiarū Dominus et ipsi præparantur cogitationes 1. Reg. 2.



M. Zu.

Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes. *Prov.* 8.

Pax DEI quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras. *Ad Philip.* 4.

Fratres ſatagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. 2. *Petr.* 1. ℣. 10.

APPROBATIO ORDINARII.

Opus cui Titulus: *STUDIUM PULCHRITUDINIS* internæ & externæ devotâ mente conſcriptum, attentè legi: quod cùm nihil Orthodoxæ Fidei & bonis moribus diſſonum in ſe cotineat; imò excitandi fervoris Spiritûs gratiâ in cordibus Presbyterorum idoneum, ut in lucem publicam prodeat, do facultatem ut imprimatur.

M. STANISLAUS MAMCZYNSKI U. Juris Doctor & Profeſſor, Canonicus Cathedralis Crac. Sede vacante Epiſcopatûs Crac. Studii Univerſitatis Procancellarius, Librorum Cenſor & Judex Surrogatus in pp.

Datum in Collegio Juridico Crac. Die 24. Februarii 1759.

PROLOQUIUM
Authoris.
Ad Beatum JOANNEM CANTIUM Almæ Universitatis Crac: Patriarcham in Patronum & Magistrum sequentis doctrinæ salutaris.

E L E C T U M.

TEmpus quô præsens hominum pervolat vita, continuô studiô non otiô ignavô DEUS scientiarum Dominus designavit impendendum. Ideo formato primo homine, inquit Scriptura Gen: 2. posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum. *Qui tædioso (ignorans pretium temporis) amat vacare otio, non expoliendo ingenium diligenti lectione occupationeq; continua eorum, quæ proprii status concernunt vocationem, facilè convincitur quia diligit se stultum: quamobrem nunquam proficiet tam in studio scholari, quàm in via perfectionis.* Unde sicut qui tardus est ad capiendum, pro intentione tamen boni studii præmium percipit: ita qui præstitum ex DEO sibi ingenium negligit, condemnationis reus existit; quia donum

quod acceperat despicit, & per desidiam relinquit. *hæc Isid: Lib. 3. de sum: bon. Sunt qui diligunt sapientiam hujus mundi, quæ est juxta descriptionem* S. GREGORII Papæ. Cor machinationibûs tegere, sensum verbîs velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. *Sed tales dixit Propheta:* Abominabiles facti sunt in studiis suis. *Avidus verioris sapientiæ & scientiæ Vir magnus inter omnes orientales S. Job Cap: 28. seriò investigavit, ubi illa inveniretur? & post longam indagationem, responsum audivit:* Ecce timor Domini ipsa est Sapientia & recedere à malo intelligentia. *Quævis enim doctrina sine fide & pietate erit velut ædificium absq; fundamento, velut corpus absq; ossibus, vel ut sphæra & circulus absq; debito sibi centro. Huic adstipulatur* D. Bernardus: Si disputes aut conferas, non sapit mihi nisi sonuerit ibi JESUS.

Talem scientiam Beate JOANNES CANTI à teneris summè desideravit Anima Tua, cujus initium est timor Domini, & hanc nactus es in Alma Universitate Cracoviensi, illam q; eousq; adamâsti, ut inter bonarum artium studia ob oculos potissimum habere nunquam prætermiseris. Unde non minùs bonô exemplô Condiscipulis, quàm venerationi

fueras propter egregium in pietate studiisq; profectum, quia assiduò in mente volvebas monitũ illud D. GREGORII *studiosæ Juventuti relictũ:* Nulla est Scientia, si utilitatem pietatis non habet: & valde inutilis est pietas, si Scientiæ discretione caret. *Proinde ita studia literarum tractâsti, eo animô in iis addiscendis vires enervabas, non ut appetitui sciendi satisfaceres, sed ut discere DEO placendi, utq; ejus placito & Academico præscripto te accomodares. Disponente itaq; DEO & eorum quorum te potestati permiseras consilio accedente, omnes in bonis iteris, & in Philosophia gradatim dignitates susceperas, tandem ipsi supremo licèt operoso Doctoratûs in Theologia honori submisisti caput. Post susceptum autem Sacerdotii munus, illud dictum* D. PAULI *tanquam ad se directum semper animô revolvebas:* Exemplum esto fidelium in conversatione; attende tibi, & doctrinæ, insta in illis, hoc enim faciens te ipsum salvum facies & eos qui te audiunt. *Attendebas tibi evacuando defectus animæ per pœnitentiam, mortificationem sensuum passionem, amoris proprii & judicii. Unde mollitie vestium ac splendore spreto, moderatum & statui tuo competentem adhibuisti: carnem adeò severiori modo castigando & macerando, ùt jure pertineres ad eos, qui carnem*

suam crucifixerunt cum vitiis. Sedata membrorum rebellione, sensibûs quoque rationi subjugatîs feliciter proficiebas de virtute in virtutem, non interrogando: via vitæ quæ? sciebas enim, quòd eas Dominus notas fecit, cum docuit verbô & exemplô fidem, spem, charitatem, patientiam, humilitatem. In his & aliis virtutibus exercendis omnem curam ac solicitudinem adhibuisti, in hoc studio seriò desudabas, ut vitam tuam ad Sacri Evangelii præscripta, tanquam ad speculum componeres, donec in te Christus illius vestigia imitando formaretur. Unde non immeritò universo Clero Sæculari studium suasurus pulchritudinis internæ & externæ, Te, cum profunda humilitate mea & condigna reverentia in Christo JESU Orbis totius Magistro Præceptorem illis porrigo. Jam etenim non apponam eis Moysis mansuetudinem, patientiam Job, misericordiam Samuelis, David sanctitatem, & si quæ sunt ejusmodi exempla bonorum: nam in te uno hæc omnia tanquam in speculo toti patent orbi. D. Chrysostomus *Homi: 16. in Math. in sequenti encomio olim extollebat S. JOANNEM Baptistam:* JOANNES Schola virtutum, Magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pœnitentiæ via. *Æmulabaris similia charismata*

studiosa

studiosa sanctimonia ejus imitatione, rigorosa vitæ austeritate, mundi contemptu, solitudine domestica. Cùm igitur hæc omnia facta sint magisterium vitæ nostræ, ideò Te præpo-sui hujus salutaris doctrinæ Manuductorem. Tibi enim inerat scientia Sanctorum seu eminentia virtutum, tibi quoque inerat gratia habitualis, gratia gratum faciens, per quam eras, es, & eris dilectus DEO & hominibus; ego autem non amore sed omni odiô dignus cùm sim, sub tuo patrocinio & tuis in manibus plenis virtutum hyacinthis depono præsentem laborem, non meâ eloquentiâ, sed justorum eruditionibus sacrisque sententiis, tanquam stellis Cælestibus adornatum: quem tu (ut olim Veteris Testamenti Sacerdos novarum frugum fasciculũ elevans Domino offerebat) Divinæ Majestati præsentare insinuareque digneris, ut illum benignè respiciat suscipiatque ad laudem & gloriam Nominis sui, ad utilitatem quoque nostram. Te insuper demississimè & ardentissimè obtestor Beatissime Patriarcha, ut mihi iisque omnibus qui huic studio sedulò incubuerint, paternam benedictionem tuam copiosissimè impertias, impetresque à DEO, ut proficiamus de virtute in virtutem, ut secundùm Tuum Spiritum omnes ambulemus, utque ita pareamus admonitioni tuæ quâ cum Apostolo Paulo paternè nos exhortaris: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

PROLOQUIUM BEATI JOANNIS CANTII Ad Presbyteros Sæculares.

Congratulamini mihi dilectissimi in Christo Fratres, vitæ perfectionem, sed & ego in infirmitate & timore & tremore fui apud vos manens in mundo, pleno laqueîs tentationum.

Pergite magnanimi, constanti pergite passu,
Virtutis vestræ nil remoretur iter.

Gratia autem Dei sum id quod sum: benedicite DEUM Cæli, quia gratia Ejus in me vacua non fuit. Profectus & cujuslibet hominis (*inquit Isidorus*) Dei donum est, *ex hac ratione Fides Catholica docet multis in locis sed præcipuè apud S. Paulum 1. ad Tim. 2.* DEUS vult omnes salvos fieri. *ergo omnibus dat gratiam, dat media apta & sufficientia ad obtinendam salutem. Verùm ut hæc voluntas fiat completa & efficax, id est, ut sortiatur salutem à DEO volitam, debet accedere conditio à DEO requisita ex parte hominis ejusdem scilicet cooperatio, ut nimirum homo mediis à DEO oblatis utatur.* Vult enim Deus omnes salvos fieri (*inquit Ambr.*) sed si accedant ad eum: non enim sic vult, ut nolentes salventur: sed vult illos salvari,

vari, si & ipsi velint. *Ex quibus liquet, neminem esse cujuscunque demum sit conditionis, vocationis & status, qui non possit esse perfectus si velit, nam quantumvis quis sit debilis naturæ & complexionis, & ideo magnas subire austeritates non valeat, non rigida sectari jejunia, non crebris insistere vigiliis &c. Dantur siquidem & alia media longe faciliora non tamen ideo minus efficacia ad certam Christianæ perfectionis metam; inter reliqua recensetur illud etiam; ut homo sive fuerit spiritualis sive sæcularis, opera & functiones suas ordinarias quas per diem obire consuevit, ritè & perfectè semper peragere studeat, & peccata præsertim mortalia, tanquam à facie colubri fugiat. Quare si animas etiam quasdam sibi confessas perfectioris vitæ desiderio inflammatas cognoverit, doceat primò mentem à gravioribus noxis purgare, malas propensiones effectusque terrestres evellere, virtutum Christianarum praxim præscribat, & Christi vitam & passionem tanquam verum earum exemplar proponat, meditatione & rerum Cœlestium contemplatione sensim ad DEUM elevet. Auxiliante enim gratiâ Divinâ, hujus modi perfectionis studium non solùm cor, sed & corpus sursum trahit, Cælum sibi aperit, pulchritudinem quoque internam & exter-*

nam

nam acquirere facit; qualem induit Stephanus Protomartyr, cujus vultum intuebantur omnes qui erant in Concilio tanquam vultum Angeli ſtantis inter illos; illa enim pulchritudo quæ intùs latebat; etiam in faciem promanavit. Sanctus Philippus Nerius quia amoris & gloriæ Dei ſalutisq; animarum ardentem zelum in ſe habuit: (ab ipſo enim frequentia Sacramentorum, auditio Verbi DEI, Orationis ſtudium, incrementum in populo acceperunt) ideò Sacrum faciens, aut ferventiùs orans, in áëra quandoq; ſublatus, mira undiq; luce fulgere viſus eſt. Geminam immortalis animæ pulchritudinem requirit DEUS, hac ex cauſa volens olim continuam in populo Iſrael figere ſtationem, juſſit ſibi erigi Tabernaculum, quod extra pretioſis aurôq; intertextis veſtitum erat cortinis; intùs verò viſebatur erectum altare ex puro elaboratum auro, in quo odoramenta gratiſſima ad Cultum DEI igne cœlitùs delapſo adolebantur. Nobis per hoc ſalubrem intimando doctrinam: Quid namq; eſt anima hominis juſti? niſi tabernaculum ac domicilium DEI, quod ille non ſolùm per præſentiam & omnipotentiam, ſed etiam per ſpecialem imaginem, ac ſimilitudinem ſuam, tum per gratiam ſanctificantem, tum per virtutum infuſarum earumq; fre-

quentiæ

quentia exercitia inhabitat. Quisquis exoptas esse dignum Dei habitaculum, ut de te dici possit quod Apostolus ait: 2. Cor: 6. Vos estis templum Dei, opus hic imprimis externis operimentis, opus externâ morum temperie, opus modestiæ sensuumq; moderamine, opus debitis Christianæ Sacerdotaliq; pietati dotibus ædificationi aliorum te spectantium deservientibus. At verò sufficitne hoc? Plùs Ille à te requirit, nimirū: cor nullo graviore peccato contaminatum, refrenatas passiones, desideria rationi obsequentia, intentiones à terreno amore, elongatas planeq; DEUM Ipsum attendentes. Tales ergo mundos corde & optimis moribus præditos intuentes adversarii, suspirabunt. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Quibus ergo mediis utraq; acquiratur pulchritudo? Jam modicum innui, ast pro ulteriori studio, pulchritudinis assignat Benignissimus Præceptor meus & Vester JESUS Christus materiam de Operibus misericordiæ, cùm jubet. Discite, misericordiā volo. Pulchra lectio & necessearia, de qua interrogabit otiosos in extremo Judicio, & statim exprobrabit. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare &c. igitur discedite à me maledicti in ignem tartareum æternis plagis puniendi. Duo sunt Opera misericordiæ, quæ breviter Ipse Dominus in Evangelio posuit:

Dimit-

Dimittite & dimittetur vobis. Date & dabitur vobis. *Jam olim breviter de operibus misericordiæ corporalibus dissertum est; Nunc in animũ & discursum veniunt opera misericordiæ spiritualia, quæ sunt itidem septem videlicet; Peccantes corrigere. Ignorantes docere. Dubitantibus recte consulere. Pro salute proximi orare. Consolari mæstos. Improborum injurias patienter ferre. Aliorum offensam remittere. In quorum laudem S. Chrysosthomus ait:* Ut anima est corpore melior, ita majoribus præmiis digni sunt, qui admonendo & continuò docendo, in viam rectam supinos & desides inducunt, mostrando eis virtutum fragrantiam & vitiorum malevolentiam: tales post hanc vitam fulgebunt ex Danielis vaticinio, tanquam stellæ in perpetuas æternitates. *His autem operibus misericordiæ aliæ multæ materiæ miscentur, quibuslibet in vinea Domini operariis accomodatissimæ, tum de obligationibus & Officiis statum Sacerdotalem concernentibus, ut non frivolè sed fervidè cultui Divino & populo Ejus Fideli præstentur. Item jucundæ quæstiones ad eruditionem & recreationem mentis & corporis servientes: tum alia plurima ad devotionem, ædificationem & spiritualem profectum valde utilia & salubria: per quæ*

(spero

(spero in Domino) uberes in Ecclesia DEI fructus producentur, vosq; reformabunt in melius, efficientq; decoros mente & corpore. Unde propter hanc internam & externam pulchritudinem, habebitis illum amicũ Regem, qui est splendor Patris, & Figura substantiæ Ejus, purgationem peccatorum faciens. Eja ergo Athletæ Christi, pectoris mei robur & corona, quotquot ex vobis hucusq; otio torpente languescitis, & forsan vix aliqua virtutis industriâ confortati, enormiter vixistis; hunc librum prehendite, non stylo sublimi sed stimulô compunctionis ad perfectionem adornatum, intendite oculos mentis & corporis in omnes hujus moralis studii materias alacri animo, sedulâ applicatione, studete memoriâ retinere, opere adimplere, talis enim scientia (inquit Scriptura Sapientiæ 7mô) Infinitus thesaurus est hominibus, quô qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ DEI, propter disciplinæ dona commendati.

Quos vitæ tædet sperando vivere discant,
Lectio, scripta, labor, tædia cuncta fugant.

PRO-

PROLOQUIUM
Ad JESUM SALVATOREM
Atq; pium Lectorem.

JESU pulchrior lunâ,
Tua gratia una.
Studium pulchritudinis,
In Spiritualis hominis.
Bonum. Proposuit scire,
Tibi ex corde servire.
Corpus non defatigabit,
Imò teporem fugabit.
Piè recreabit mentem,
Et erudiet legentem.
Quem tangit fervor virtutis,
Et tener amor salutis.
Præsens assumat studium,
Integritatis subsidium.

STUDIUM
Preces matutinas devotè recitandi.

Studiosus interrogat: *Obsecro charissime Condiscipule, manè surgens quid acturus sum?* Respondet Condiscipulus. *Præbe aurem quid ipse Dominus Deus Noster per Isaiam Cap: 43. dicit.* Omnem qui invocat Nomen meum, in gloriam meam creavi eum. *Unde manè*

experre-

experrectus conare mentem in Deum elevare dicendo: Vivat JESUS amor meus, & MARIA Mater Ejus. *Deinde Cruce signans frontem, os, & pectus*: JESUS Christus Crucifixus sit in omnibus meis cogitationbus, verbis & operibus. Exurgat DEUS & dissipentur inimici Ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie Ejus.

Actus virtutum manè dicendi.

ADoro te Sanctissima TRINITAS: Pater & Filius & Spiritus S. Tres Personæ unus & solus DEUS. Deijcio me in abysso mei nihili sub conspectu Divinæ Majestatis tuæ. Credo firmissimè, paratus mille vitas profundere, in contestationem omnium eorum, quæ nobis in Sacra Scriptura revelâsti, & per Ecclesiam tuam credendi proposuisti. Omnem spem meam in Te colloco, quidquid possum habere boni, sive Spiritualis, sive corporalis, & in hac vita & in altera, id totum desidero, spero & volo solùm consequi de tua manu DEUS meus, vita mea, & unica spes mea. Consigno tibi hodie, & in perpetuum, corpus & animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, & omnes sensus meos. Protestor me non consentire neq; consensurum unquam, quantùm in me est,

in ullam rem, quæ fiat vel cum minima offensa tuæ Divinæ Majestatis.

Propono firmissimè, impendere omne esse meum facultates ac vires meas, ad servitium & gloriam tuam. Paratus sum suscipere, quascunq; adversitates mihi Paterna manus tua immiserit, ad dandum gustum beatissimo Cordi tuo. Vellem, ut ab omnibus tibi serviatur, atq; omnes homines te glorificent, DEUM Creatorem suum.

Gaudeo summè de tua æterna felicitate, & exsulto de tua tam magna gloria in Cælo & in terra.

Gratias tibi ago infinitas, pro innumeris beneficiis quæ mihi & toti mundo collata sunt, & indies incessanter à benignissima tua Providentia conferuntur.

Amo tuam infinitam Bonitatem, propter seipsam, ex toto affectu cordis & animæ meæ, & vellem si possem amare eo amore quo Te amant Angeli & homines justi, cum quorum amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

Offero Divinæ Majestati tuæ in unione meritorum Passionis vitæ & mortis Christi Beatissimæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, exnunc pro semper omnia opera mea

ra mea prætiosissimo Sanguine JESU Redemptoris nostri lota, & involuta.

Statuo omnino participem me facere, quantum possibilè est indulgentiarum per actiones hujus diei, & illas applicare per modum suffragii pro animabus purgatorii. Volo etiam omne illud quod possum offerre in pœnitentiam, & satisfactionem meorum peccatorum.

DEUS, cùm tu sis infinitè dignus omni amore & servitiô, siquidem tu es, qui es, doleo quantùm possum maximè de omnibus meis peccatis, illaq; detestor, supra omnia mala: peto humillimè veniam, facioq; firmissimum propositum, nunquam offendendi tuam Bonitatem in æternum. In tua vulnera me projicio ô JESU ibi me absconde, & defende, hodie, & semper, donec mihi largiaris gratiam videndi te, & amandi in æternum.

Commendatio suipsius ad B. V. M.

O! Domina mea Sancta MARIA, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ hodie, & quotidie, & in hora exitûs mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo: omnem spem meam, & consolationem, omnes angustias, & mi-

ſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi commito, ut per tuam Sanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita omnia mea dirigantur opera, ſecundùm tuam tuiq; Filii voluntatem. Amen.

O! Amantiſſima Mater, glorioſa Dei Genitrix MARIA, ſuſcipio te novo amoris affectu, in Matem meam dulciſſimam, unicè colendam, amandam, imitandam, glorificandam: ſuſcipe tu quoq; licèt indigniſſimum, in peculiarem filium: adſis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deſeras in hora mortis, o clemens, o pia, o dulcis Virgo MARIA. Amen.

O! Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, hac die illumina, cuſtodi, rege & guberna. Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio, à te ſemper incipiat & per te cæpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Gratiarum actio pro ſtatu Sacerdotali.

GRatias tibi ago miſericors DEUS, quòd me indignum peccatorem ad officium Sacerdotale elegiſti, meq; medium inter te, & populum fieri voluiſti, ut tuam, pro me peccatore & pro eodem po-

pulo tuo misericordiam exorarem. Certè Angelicam puritatem, & conservationem deberem habere, egō peccator & impurus, cujus in manibus ad verborum tuorum prolationem, Corpus Tuum ô Christedepanîs consecratur materia, qui Te ad libitum & tracto manibûs & ore pecipio, & fidelibûs distribuo. Adjuva me DEUS Omnipotens, ut huic officio, & statui meo ad tui Nominis laudem, meamq; & populi salutem prodesse & satisfacere valeam, quod tibi beneplacitum est semper cogitem & intendam, aliisq; vitâ & exemplō præluceam, honorem tuum, animarum profectum quantum in me est promoveam, Orationi diligenter vacem. Tibi DEO meo ardenter & libenter deserviam, Spirituiq; potiùs intendam, quàm carni. Da bone JESU ut corde & corpore mundus sim, & pudicus in omni tempore, sim corde humilis, conservatione Sanctus, temporalium contemptor facultatum, & à terrenorum solicitudine liber, quatenus tibi DEO meo expeditiùs serviam, atq; Sacramentalîs panîs sumptione dignior efficiar, ut in omnibus deniq; meis actionibus glorificeris ô Christe. Qui vivis, & regnas &c.

Propheticô moneamur oraculô: Statue tibi ſpeculum, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam Jere: *31. Nam teſte Paulo 1.* Conrinth. *11. ℣.31.* Si nosmet ipſos dijudicaremus non utiq; judicaremur.

Proinde

Cogitata dicta, facta diei tecum expende. An recta in rebus tuis intentione proceſſeris, an inſpirationes Divinas neglexeris, an ſuſpicionibus, judiciîs temerariîs, ambitione, libidine, odiô, vanâ gloriâ &c. laboraveris. 2dô. *An in verbis tuis vanitas, acerbitas, mendacium, irriſio, detractio, murmuratio, juramentum, &c. locum habuerint.* 3tiô. *an in actionibus aliquid Dei gloriæ, proximi commodis, tuæ ſaluti obfuerit. Hic reflecte ad munus officii tui, ſtatûs; obligationis. Item recogita ſucceſſum in Officio Divino, in Miſſæ Sacrificio. Tandem percurre Decalogi, Eccleſiæ &c. Præcepta.*

Actus Contritionis.

DOmine mi JESU Chriſte verus DEUS & verus Homo, Creator ac Salvator meus, doleo ex toto corde meo, quòd Te offenderim: quia Tu DEUS meus es, & Te amo ſuper omnia firmiterq; ſtatuo nunquâ abhinc peccare, ſed omnes peccandi occa-

ſiones

ſiones evitare. Propono quoq; peccata mea confiteri, pænitentiam quæ injuncta fuerit, exſolvere, & ſi quid alicui debeam reſtituere. Amore etiam tui remitto injuriam omnem, à quocunq; mihi illatam. Inſuper ad expianda peccata mea, offero Majeſtati tuæ vitam, labores, & bona opera mea univerſa. Ut verò humillimè peccatorum meorum remiſſionem efflagito, ita confido ab Infinita Bonitate Tua per merita Sanctiſſimæ Paſſionis, Sanguinis & mortis Tuæ ea mihi remittenda? præſtandam etiam gratiam, quâ vitam meam emendem, & in Sanctiſſimo ſervitio Tuo in finem usq; perſeverem. Amen.

Brevior.

O! Deus meus doleo ex animo de omnibus ac ſingulis peccatis meis, idq; maximè quia Divinæ Tuæ diſplicent Majeſtati. Deus propitius eſto mihi maximo peccatori. *Oratio mentalis inſtituatur.*

DEUS Spiritus eſt, ideoq; vult adorari Spiritu, non placatur ſolo labiorum motu, nec prodeſt vocalis Oratio, ni mentalî condiatur.

A publico tantisper abſtine, ut incumbas ad Orationem mentalem. Meditare quotidie aliquam majoris momenti veritatem; mortem, in-

fernum, Judicium, Paradisum, Passionem Jesu Christi &c. Ex hac pia meditatione non solum cellis inclusi Ascetæ, sed etiam per orbem dispersi plurimi Viri probi insignem animæ fructum experiri solent. Ut notavit S. Laurentius Justinianus de Casto Connubio c. 22. Ex ipsius assiduitate stabilitur mens, purgantur cogitationes, sollicitudo sapit, delectat Deus, ingenium acuitur, purificatur sensus, illustratur ratio, loquela restringitur, & animus ad alta suspenditur. *Ad consequendos hos affectus, adjumenta sequentia porrigo.* 1mum. *est locus idoneus ab omni strepitu remotus.* 2dum *tempus certum, quale est Matutinum.* 3tium *situs corporalis modestus & devotus, ut genibûs flexis.* 4tum: *Si DEUS aliquando immittit tibi vehementiorem affectum* v. g. *ut prorunpant lachrymæ humiliter eum admitte, & quàm diu Deus dederit, continua. Sed hic tamen diuturnus esse non debet, maximè si sponte à te concitatus sit, nè lædatur caput.*

Indulgentiæ quas ad pulsum Angelicæ Salutationis concessit SS. Dnus Noster Clemens X.

Quiscunque ad sonum Angelicæ Salutationis manè, meridie, & vespere post recitatas preces, quas vocant Angelus Domini &c. *Et* Ave Maria &c. *juxta formam consuetam subjunxerit:* Deo gratias, & Mariæ, *idque ter ad honorem*

norem Sanctissimæ Trinitatis pro gratiarum actione altissimi Mysterii Incarnationis, cujus in tali actu recordamur, lucrabitur toties 10. Annorum Indulgentias, quoties id præstiterit. Et si integro Mense hanc ipsam orandi formam produxerit, proximo Mense, ubi primum Sacro Pane se refecerit, Indulgentias plenarias consequetur, nec non animam, ex piacularibus flammis ad suam intentionem liberare poterit.

STUDIUM
Vespere orandi
Discussio Conscientiæ.

Hic omnes diei horas ab ea quâ surrexisti ordinatè percurre, & diligenter examina, ubi fueris, cum quibus conversaveris, quid cogitaveris, dixeris, feceris & omiseris, pro ratione statûs Officii, seu vocationis tuæ. Sicq; facilè quidquid peccare potuisti agnosces. Item quid in exercitiis virtutis N. magis necessariæ, quid in extirpatione vitii N, tibi magis infesti perfeceris. Huic examini addatur specialis aliqua pœnitentia juxta peccati qualitatem, ut in posterum tanto diligentiùs à peccato simili abstineas. Firmum propositum quoq; facito, singulis septimanis velle te ad minimum unum peccatum superare, & ab illo dissvescere.

Actus

Actus Contritionis.

O! Utinam vel craſtinum ſaltim diem mi Domine cum gratia tua ſanctiùs & meliùs, quàm hunc impendam. O quàm doleo, quod tot horas, tot dies, imò tot annos malè impenderim, & quod Te o Redemptor mi infinitè amabilem unquam offenderim, propono ſinceram emendationem o Pater æterne, offero Tibi dilectiſſimum Filium Tuum cum omnibus doloribus & vulneribus ejus, pro peccatis & negligentiis meis. O Beata Virgo adjuva me. O vos omnes Sancti Patroni mei, & omnes Electi Dei ſuſcipite me. Angele mei Cuſtos defende me. Amen.

Oſculare hic Vulnera Chriſti (ſi habes ad manum Paſſionem) vel in honorem illorum, terram quinquies. Aſpergendo aquâ benedictâ lectum & cubiculum in modum Crucis dicens: Per ſignum Crucis de inimicis noſtris libera nos DEUS noſter.

Demùm pollice ſcribe in fronte tua, has quatuor literas: J. N. R. J. *dicens.* JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM præſervet me à ſubitanea mala morte. *Nam S. Edmundo dixit Chriſtus:* quod quicunq; hoc fecerit, ſubitanea morte, iſta nocte non ſit moriturus. Surgius in vita ejus. *Recumbes in dextro*

latere

latere, compositis manibus in pectore per modum Crucis, & cùm dormire non poteris, recita Coronam vel Rosarium vel aliquem ex Psalmis v.g. Qui habitat in adjutorio, *vel* Miserere mei Deus, *& sic suaviter obdormies. Si contigerit ex primo somno evigilare, & ulteriùs dormire non poteris; memorare pœnarum Inferni, aut Purgatorii, & profundè ingemisce.* Si tam tædiosum in molli decumbere lecto, quàm incomparabiliter grave & amarum jacere in flammis Purgatorii. *Illacrymare igitur & dole pro peccatis tuis, statuendo ampliùs non peccare, & ora pro Animabus in Purgatorio existentibus.*

STUDIUM
Peccantes corrigendi.

JESUS amabilis Matth: *18. pro amore sui & proximi obligat:* Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. *Sed quomodo mi Domine, nam peccatores cum Filio prodigo abeunt in regionem longinquam, ambulant vias difficiles ingemiscendo.* Erravi sicut ovis, *ergo priùs reducendi in viam rectam, priùs docendi viam prudentiæ; hoc exoptavit supra errabundus:* Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. *Via Domini Nostri JESU Christi*

erant

erant: Pœnitentia, Oratio, & conjunctio voluntatis cum Paterna, hæc omnia egit inquit Ambrosius: Non ut pro se obsecraret, sed ut pro me impetret. *qui ergo vult non errare, debet, inquit Joannes;* Sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. *Epist. 1. Cap. 2. ℣. 6.*

Tres vias designant omnes Christianæ Universitatis Magistri. Nempè Viam Purgativam, *cuius fundamentum est* Timor Dei, *qui nascitur in nobis ex consideratione mortis, judiciorumq; Dei, atq; pœnarum inferni. Hæcq; Via est incipentium, quorum præcipuum studium est, Animam suam à peccatorum suorum maculis purgare, quod fit per veram Contritionem, Confessionem, per Actus externos pœnitentiæ, videlicet per abstinentiam, jejunia, vigilias, cilicia, disciplinas. Præterea per mortificationem sensuum externorum & internorum, passionum & vitiorum eradicationem.* Via Illuminativa est *proficientium, quarum perfectissimum exemplar habemus in Christo, & ideo hæc Viæ Illuminativæ exercitia nihil aliud sunt, nisi Christi Domini Nostri continua virtutum imitatio. Ad Divinum hoc exercitium invitant nos exempla & exhortationes Sanctorum qui totâ vitâ hujus modi contemplationi studuerunt. De Beata Virgine Cæcilia memoriæ proditum est,* quod semper

Evange-

Evangelium Christi in pectore gestabat: *Non intelligendum est hoc inquit* D. BONAVENTURA, *quasi codicem Evangeliorum in sinu portaverit, sed in corde meditando. Quare ut dicit* S. BERNARDUS *Serm: 22. in Cant.* Homo qui virtutes sibi vult comparare, frustra laborat si eas alibi quærat aut ab alio petat quàm à Domino virtutum, cujus doctrina est regula prudentiæ, cujus misericordia est opus justitiæ, cujus vita exemplum est temperantiæ, cujus mors est vexillum patientiæ. Superna respecti & adjuti gratiâ cum unitivam ingrediuntur viã. *Horum exercitia propria sunt; Contemplatio Divinæ Majestatis & perfectionum Ejus, atq; ipsius amor, nec non usus orationum jaculatoriarum, quæ omnia Animam Deo uniunt. Quotquot igitur suæ sunt cupidi salutis, suos gressus in hac triplici perfectionis semita firment, oportet. Nam ut Præceptor Angelicus docet: tenetur quilibet fidelis aliquomodo tendere, ad assequendum perfectionis statum, quem in Ecclesia militante instituit Christus, cujus illa Vox est:* Matth: 5. Estote perfecti sicut Pater vester Cælestis perfectus est. *His intendebat triviis B. Joannes Cantius nam licèt in via peccatorum non stetit, primam tamen viam quæ est Purgativa non per salutem trajectam.*

Sed

sed piè calcatam ex vestigiis ejus, nempè crebris jejuniis, flagellis, aliisq; voluntariis corporis cruciatibus cognoscimus. Prosperè etiam processit ad Viam Illuminativam, in qua habuit fidem DEI, spem quoq; & charitatem, hæ enim virtutes in illo operatæ sunt: Quia confractum cum lacte vas plorantis Ancillæ integritati restituit, & aquâ in lac mutatâ dixit: Noli flere. *In via Unitiva jam illum videre est, in qua Uni ac Trino sic perfectè unitus est, per Actus Amoris Dei, Gaudii, Laudis, Gratiarum Actionis & desiderii videndi DEUM: ut unum ei suggeram Tharsensis Apostoli:* Qui adhæret Deo Unus Spiritus est cum eo. *1. Cor. 6. Satisfacimus etiam contemplativæ vitæ per diligens Orationis exercitium & præsentiæ Dei, per actus Anagogicos, frequentes aspirationes, per lectionem quoq; Librorum Spiritualium, crebras tunc elevationes cordis ad DEUM faciendo. Justum ergò per has vias rectas deduxit Dominus in cælum, in quo gaudent animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti. Posui ante oculos mentis vestræ tres perfectionis vias, propusui quoq; sequendum Ducem vestrum gravi passu per eas incedentem. Jam state nunc, vovet Propheta, super vias vestras, conferte cum semitis Virorum perfectorum, videte quæ sit via bona, & ambulate*

in ea & invenietis refrigerium animabus vestris Jer. 6. ℣. 16. *Sciendum est autem non solùm incipientes & proficientes, sed etiam perfecti subjacent vitiorum passionibus quas mortificare & relegare continuò habent. Hinc promebat* D. BERNARDUS *Serm:* 58. Quis ita ad ungvem omnia à se superflua resecuit? ut nihil habere se putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt. *Quid igitur & quomodo ex tua proximorumq; conscientia effugaturus es, docebit apta materies de correctione Fraterna. Vestra vocatio & obligatio est, non solùm ex charitate, sed simul etiam ex Justitia peccantem commodo tempore corrigere, modò sit moralis certitudo de ejus peccato, & sit spes fructûs saltim probabilis: Secùs enim omittenda, vel in opportunius tempus differendo: & modo non adsit aliquis magis idoneus ad corripiendum, qui possit ac velit hoc onus subire. Urgente autem hoc præcepto correctionis fraternæ, aliter corripiendus est inferior, aliter æqualis, & aliter superior. Ita certa & communis Doctorum, siquidem inferior plerumq; prius increpandus, & postea mansvetè hortandus est, monente Apostolo* Galat: *6.* Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, Vos qui Spirituales estis, hujusmodi instruite in

spiritu

ſpiritu lenitatis. Æqualis verò amicè commonendus eſt *juxta illud 2. Thes: 3.* Nolite quaſi inimicum reputare, ſed corripite ut fratrem. *Superior deniq; humiliter potiùs rogandus eſt, quàm redarguendus, ſecundùm quod dicitur 1. Timoth: 3.* Seniorem nè increpaveris, ſed obſecra ut Patrem. *Aliàs enim ſi neglexeritis inquit* S. Iſidorus *l. 3. Sent: C.46.* Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. *Qui autem (inquit* Iſidorus *C. 46.)* blando verbō caſtigatus non corrigitur, acriùs neceſſe eſt, arguatur cum dolore ſunt abſcindenda, quæ leniter ſanari non poſſunt. *Verùm ut fructuoſa poſſit eſſe correptio, regulariter loquendo oportet, ut correptor ſit homo juſtus, ſecundùm illud Davidis:* corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impingvet caput meum. *Secundùm ordinem charitatis primò Noſtri, quam aliorum ubi peccatîs gravamur miſerendum eſt. Quo ſenſu dicitur apud Sapientem Eccleſiaſticum:* Miſerere animæ tuæ, placens Deo. *Ut miſerearis animæ tuæ. inter mundi varietates & laqueos viventis, conſulit Jeremias Cap: 31.* Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritu-

dines. *Specula est* Regula vitæ, *Amaritudines in illa videntur omnia, quæ delicatis corporis sensibus repugnant, sed alacri animo sumptæ, & seria observatione quasi consumptæ, fient auxiliante gratia Dei jugum suave, & onus leve. Pœnituit S. Paulum, quia vivebat aliquando sine lege: sub lege erant Sanctarum Religionum Patriarchæ Franciscus & Dominicus, adhuc tamen specialem perfectioris Vitæ Regulam sibi, suisq; Monachis observandam præscripserunt. Suspicor vestris in mentibus æquale versari desiderium, propter hoc dulcis & rectus Dominus legem vitæ & disciplinæ dabit (inquit* Propheta *Psal*: 24) *delinquentibus in via, quoniam & vos ad perfectionem* (Matth: 5.) *stimulavit. Lex autem sive Regula non est alia quàm sequens vitæ perfectæ Studiosis intimata.*

REGULA VITÆ
Clero Sæculari
PROPOSITA.

1. *Manè evigilando pius Sacerdos, horâ stata surget de lecto indutis celeriter, modestè tamen vestibûs, aquâ benedictâ frontem intinget, procumbendoq; in genua coram Imagine Crucifixi vel Beatissimæ Virginis* MARIÆ,

devotos

devotos affectus eliciet. Quales sunt Fidei, & adorationis Domini DEI ubiq; præsentis; Gratiarum actionis pro beneficiis hac nocte acceptis; Contritionis pro peccatis commissis cum proposito eadem vitandi, die currenti. Oblationis omnium operum totius diei ad DEI gloriam, Petitionis gratiarum, & auxiliorum Divinorum pro ea die benè transigendæ.

Vide hic studium, Preces Matutinas devotè recitandi.

2. Cum quærere primum Regnum DEI, & justitiam ejus moneamur, & alia adijcientur nobis Matth: 6. ℣. 33. Ante omnia alia negotia Viro Ecclesiastico saluberrimum est, quod Orationi Mentali quotidie ad minimum per mediam horam vacabit, in eaq; coram DEO constitutus, vel meditabitur aliquod Mysterium Vitæ Christi, vel defectus diei præteritæ examinabit, eosq; emendare constituet, vel diligenter considerabit, ad quod vitium est propensior, quæ passio in eo prædominatur? quæ virtus ipsi maximè necessaria? curabitq; facere seriam resolutionem, tam de vitio fugiendo, quàm virtute acquirenda, eamq; ad praxim deducere, conabitur. Ut autem faciliùs materiam piè meditandi habeat, providebit sibi Libellos Meditationum, quorum tam in lingva Latina quàm in Polonica sat abundans copia.

3. *Si tempus vacat & alia negotia non premunt, in continenti post meditationem horas Officii Divini devotè, studiosè, ac diligenter recitabit.*

4. *Persolutis Divinis, temporalia modestè, sine strepitu, clamoribus, nimiaq; in ipsa effusione, spiritusq; dissipatione, verùm cum tranquillitate animi ordinabit ac disponet.*

5 *Horâ statâ recollectoq; Spiritu Sacrosanctum Missæ Sacrificium, nisi quid obstet, devotè celebrabit, cum debita præparatione, & gratiarum actione.*

6. *Sacram Confessionem saltem quovis octiduo peragere, nisi necessitas frequentiùs exigat, curabit.*

7. *A nimio usu cremati abborrebit illôq; nisi quando vera necessitas exigit, secundùm monitum* D. Pauli 1. Timth: 5. ℣. 23. *modicè utetur, ab iteratione ejusdem per diem abstinebit, neminem ad frequentes illius haustus adiget.*

8. *Curabit ne ulla dies transeat, quin in ea reficiatur mens lectione alicujus Libri Spiritualis: Quales sunt:* Thomas à Kempis. Pámiątká Pásterskiego áffektu, Monita Generalia de Officiis Confessarii. *Specialiter autem Lectio quotidiana unius Capitis Novi Testamenti cum reflexionibus Spiritualibus non intermittatur.*

9. *Cùm Tempus omnia habeant.* Eccl: 3. ℣. 1. *Unicuiq; actioni destinabit certam horã, ut omnia secundùm ordinem fiant.* 1. Cor: 14. ℣. 40. *Videlicet tempus surgendi, tempus quiescendi, tempus prandendi, tempus cænandi, tempus Spiritualia agendi, tempus temporalia disponendi, tempus studendi maximè Theologiæ Morali, cum labia Sacerdotis custodire debeant scientiam.* Malach: 2. ℣. 7. *Aliàs repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi.* Oseæ 4. ℣. 6. *Quapropter quotidie legendum aliquid, idq; attente, de eadem Theologia.*

10. *Ante inchoationem operis alicujus momenti, intentionem ad DEUM diriget veniam petendo de commissis defectibus & gratiam pro felici successu.*

11. *Antequam mensæ horâ consuetâ accumbet, solita Benedictio præmittatur, gratiarum actio subsequatur. Ad mensam attendendum, ne corda graventur in crapula & ebrietate* Luc: 21. ℣. 34. *Quapropter omnes ad commessationes & ebrietates occasiones fugiendæ, verùm parcè, sobriè, maximè in stipis, aut aliis conviviis (si evitari non possunt) caro reficienda, quæ semper concupiscit adversùs Spiritum.* Ad Galat: 5. ℣. 18.

12. *Ante utramq; refectionem Examen particulare instituet, breviter expendendo an vi-*

tium sibi magis familiare superavit? an in virtute maximè sibi necessaria aliquem profectum fecerit? si non, proponet.

13. Refecto corpore, animum paululùm relaxabit, temporalia inspiciendo: tandem circa horam tertiam, Vesperas cum Completorio persolvet: leget aliquid pro Cathehismo vel Concione, pro futuro Die Dominico, vel Festo sermonemq; diligenter componet, non quidem in sublimitate sermonis, sed in ostensione Spiritus & virtutis 1. Cor: 2. ℣. 1. & 4. Ne imparati ascendentes Cathedram videamur tentare DEUM, aut loqui quæ ad rem non pertinent. Eph: 5. ℣. 4.

14. Ad pulsum Horologii, si est; mentem in DEUM elevabit sæpè jaculatorias Orratiunculas in DEUM vibrando, maximè eo die, quô Orationi mentali vacare non potuit. Præsentiam DEI in memoriam revocabit, maximè ante inchoationem alicujus actionis vel in occasione peccandi.

15. Cùm Dominus aliquam molestiam, aut ægritudinem immiserit, ad Dominum cùm tribulabitur clamabit. Psalm: 31. In infirmitate autem maturè Sacramenta suscipiat, Divinæ se voluntati, committendo, & ad mortem diligenter se præparando.

16. Si ex fragilitate humana contingat in

aliquod labi peccatum, confestim curabit se in gratia DEI constituere, ferventer eliciendo Actus contritionis perfectæ, cum firmo proposito emendationis; ne inopinatè repentinus superveniat interitus.

17. Erga Sanctissimam Matrem DEI, Sanctum Angelum Custodem, ac Tutelarem suum elevatus erit, quotidiè aliquem cultum ipsis impendendo; maximè Sanctum Patronum in ejus virtutibus & sanctitate imitando, ne Nomen inane fiat in se crimen immane.

18. Quolibet die aliquam mortificationem exercebit: Cùm servis Dei convenit mortificari propter eum tota die Rom: 8. ꝟ. 36. Id autem mortificationis genus occurrere potest, in visu, gustu, lingua, ira, &c.

19. Occasiones peccandi studiosè devitabit, maximè conversationes, & familiaritates cum diverso sexu. Nam mulieres faciunt apostatare Sapientes. Eccl: 19. ꝟ. 2. Hinc solus cum sola in locis periculosis non aget: ad cubiculum suum, quantùm fieri potest, feminas non admittet, multò minùs sub eodem tecto, aut eodem hipocausto commanebit. Qui enim amat periculum, peribit in illo. Eccl: 3. ꝟ. 27. Quod si necessitas exigat cum illis colloqui, id fiat in locis publicis, vel si in domuncula, tam diu sit janua aperta, quàm diu conferentia finiatur,

que brevibus cum tali ſexu expediri debet. Et ſi conferentiam prolongare ſit neceſſe, fiat in præſentia aliorum, qui poſſent eſſe teſtes honeſtæ converſationis.

20. Et cùm tentatio ſit, vita hominis ſuper terram. Job 7. Orbatâ aliquâ maximè contra caſtitatem, confeſtim ad DEUM recurret, dicendo: DEUS in adjutorium meum intende, vel Exurgat DEUS, & diſſipentur inimici ejus. Conſtituetvè cum S. CASIMIRO mori potiùs, quàm fœdari. Quæ ſi moleſtiùs oppugnet, de loco ſe proripiet, aliquaq; diſtractione exteriori, aut afflictione corporis cum S. PAULO: Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: fortiter ſuperare contendet.

21. Aliqua miſericordiæ opera quotidiè exercebit. Ut ſunt: viſitare infirmos, pauperibus ſubvenire, ignorantes docere, delinquentes in ſpiritu lenitatis corrigere: maximè diligentem ſe in adminiſtratione Sacramentorum exhibere. Quapropter etiam media quies interrumpenda, cùm ad infirmum vocatur, vel ad Baptiſmum invitatur, ne animæ eorum de manu ſua requirantur. Curandum circa adminiſtrationem Sacramentorum, ut cum debita materia, forma, intentione, Religione, gravitate conferantur. Evitando exactiones, uti avaritiæ notas, tam à Sacramentis, quàm pro ſe-

pulturis fidelium, idq; ut non vituperetur Mynisterium nostrum? Corint: 6. ℣. 3.

22. Sataget tota die in omnibus se præbere bonum exemplum ad Tit. 2. ℣. 7. fieriq; forma gregis ex animo 1. Petri 5. ℣. 3. ut populus curæ ipsius commissus, videat opera ejus bona, & glorificet Patrem qui in Cælis est. Math: 5. ibidem inter cætera observanda, habitus decens semper deferendus.

23. Circa Vesperam Matutinum cum Laudibus sequentis diei absolvet, sobriè corpus reficiet, post animum paulisper relaxabit, temporalia pro die crastina ordinabit, ut matutinum tempus liberum habeatur ad instandum meditationi. Quibûs dispositis, ante quietem generale examen peraget secundùm quinq; puncta.

1. Sistere se in præsentia Divina.
2. Gratias agere pro beneficiis eo die acceptis
3. Revocare in memoriam peccata & defectus totius diei.
4. Actum contritionis cum firmo prosito elicere
5. Constituere se in eodem statu in quo vellemus reperiri in articulo mortis. Tum adjungere aliquas Orationes vocales: Confiteor. Misereatur. Visita quæsumus. Litanias Beatissimæ, Angele Dei. De profundis, cum Oratione pro Defunctis.

24. Tandem petendo lectulum, aquâ bene-

dictâ

dictâ se asperget. Sanctissimum Sacramentum licèt à longè ad Ecclesiam se convertendo adorabit. Signoq; Crucis impresso, in aliqua pia cogitatione, in pace in id ipsum dormiet & requiescet.

25. Si contigat de nocte excitari, illico mentem ad DEUM per pium affectum elevabit. v.g. Ego dormio & cor meum vigilat. Oculi mei semper ad Dominum &c. Phantasmata si quæ occurrent, excutiet, devotaq; Oratiuncula cor occupabit.

26 Et cum unicuiq; DEUS mandavit de proximo suo peculiarem curam habebit de familia sua: Qui enim domesticorum curam non habet est infideli deterior 1. Timoth: 5. ℣. 8. Quapropter invigilabit ne in familia reperiantur scandala, aut peccata gravia. Qualia sunt: Ebrietates, Furta, Maledictiones, Luxuriæ, Juramenta &c. Quinimo edocebit eandem familiam, ut manè se DEO commendent, opera Diurna ad gloriam Ejus offerant. Dominicis & Festis diebus Missam audiant, Concioni & Cathechismo intersint, à servilibus operibus abstineant, cauponas non frequentent, saltim in Festis solemnioribus confiteantur, & ad Sanctissimam Eucharistiam accedant. Ad hæc omnia Sacerdos bonô exemplô omnibus prælucebit, nam qualis Rector

est civitatis, tales & inhabitantes in ea Ecc: 10 ℣. 2. *Inter leges* Numero *6. reperitur obligatio sequentis tenoris: Sacram Confessionem saltim quovis octiduo peragere, nisi necessitas frequentiùs exigat curabit. Nihil homini utiliùs nihil salubriùs (dicit* S. Hier:) *quàm ut statim post peccatum confessionis medelam non differat. Cui utiliter faciendæ præmittendum est examen Conscientiæ, nam inquit B. David:* Multi sunt qui nunquam fecerunt confessionem suam nisi transitoriè, scilicet currendo transeundo quasi gallus super prunas, quàm citiùs possunt. *Examen conscientiæ nihil est aliud, quàm exquisita discussio qua cogitationes, verba, & opera nostra expendimus, & quæ sunt mala commissa, aut boni omissa, cognoscimus, ut peccata nostra detestemur, & indignationem DEI à nobis avertamus, vitamq; nostram corrigamus.*

Modus examinandi propriam, aut penitentûm conscientiam pro confessione Generali de peccatis contra præcepta Decalogi videatur in Fasciculo Congregationis B. M. V. aut in Libro Jubilæi Annô 1751.

CATALOGUS PECCATORUM BREVIOR

Pro Ecclesiasticis & sanctioris vitæ Studiosis.

Peccata contra DEUM.

Defectus, negligentia, error gravis & levis in *usu*

usu, vel administratione Sacramentorum Confessionis & Communionis, in celebratione vel auditione Missæ. Omissio vel negligentia similis in lectione horarum, & piorum librorum meditatione, examine, recitatione orationum obligatariarum &c. distractio notabilis vel levis in prædictis omnibus.

Negligentia gravis, vel levis in repellendis cogitationibus contra fidem, spem, charitatem, & tentationibus blasphemiæ, præsumptionis, desperationis, pusillanimitatis.

Ingratitudo erga DEUM pro tot beneficiis, tepiditas in studio perfectionis, contemptus venialium peccatorum.

Contra te ipsum.

Intemperantia gravis vel levis, sensualitas avidiùs quæsita in cibo, potu, vestibus aliis. Negligentia gravis vel levis in sensibus custodiendis, præcavendis occasionibus tentationum contra Angelicam puritatem in præcavendis, repellendis & comprimendis illicitis cogitationibus, motibus, illusionibus, in omissione mortificationum & afflictionum corporis, in vitanda minùs cauta familiaritate, & mortificanda curiositate sciendi, legendi, perniciosas, morosas, & periculosas materias.

Superbia, arrogantia, ambitio, nimia æstimatio sui, vana complacentia affectatio singularitatis hypocrisis.

Contra Proximum.

Inobedientia gravis vel levis, deliberata vel indeliberata, expressa vel imperfecta, aversio erga Superiores gravis vel levis, suspicio, murmuratio detractio, contumacia. &c.

Negligentia gravis vel levis plenè & semiplenè & voluntaria, in reprimendis motibus, despicientiæ aliorum, aversionis, odii, invidiæ, iræ, impatientiæ, in resistendo suspicioni, judicio temerario, in re gravi vel levi.

Læsio fraternæ charitatis, gravis vel levis, verborum asperitas, contentio, susurratio, detractio, scandalum, omissio officiorum fraternæ charitatis, neglectio correptionis, aut manifestationis alienorum delictorum ex charitate debita, neglectus occasionum monendi & instruendi proximos.

Transgressio legum & statutorum voluntaria, ociositas, scurrilitas in loquendo, negligentia in tempore benè impendendo, in officii sui partibus accurrate fundendis, in parendo Divinis inspirationibus, & cooperando gratiæ vocationis, & cætera, quæ conscientiam angunt non tacebit.

Confitere tanta animi contritione velut si morti proximus, & Divino Tribunali esses sistendus, & verò erit hæc Confessio fortassis ultima, quis enim de alia securitatem tibi præstare potest?

Actus

Actus solidæ Contritionis.

AMabilissime Domine JESU Christe, Amor meus, pro me crucifixe, amo Te super omnia toto corde, ob infinitam Bonitatem, omnesq; Divinas perfectiones tuas, etsi possem omnium Angelorum & Sanctorum Tuorum amore te amarem, nam omni amore es dignissimus. Et quia Te amo, pænitet & me, & toto mentis affectu doleo, quòd ego vilissima creatura tua, contra Te Optimum Deum meum, cui omne peccatum vehementissimè displicet, unquam peccaverim, ô si Te non offendissem, non egissem id quòd Sanctissimæ Tuæ Voluntati & Amori sit contrarium! Revoco, retracto, detestor & quantum possum annihilo quidquid feci cogitatione, verbô, opere, & omissione contra Te cupioq; ac desidero totâ animâ mea id me non fecisse. Heu pænitet me iterum, atq; iterum, & millies pænitebitq; tota vita mea. Et quamvis nulla pœna, aut infernus esset, nullum Cælum, tua tamen amabilissima Bonitas à me (heu mihi) offensa sufficit, ut mihi cor dolore dirumpatur & oculi flumina ac maria lachrymarum profundant. Propono firmissimè cum gratia tua Sanctissimæ Tuæ Legi

in

in posterum obedire, peccatum quodvis super omne aliud malum vitare, integrè cofiteri pœnitentiam injunctam explere, proximo meo si quid teneor & debeo satisfacere, offendendi Te occasiones quantùm possum fugere. Condono omnibus omnes injurias & offensas mihi factas, sicut meas à Te mihi peto condonari. Offero tibi vitam & actiones meas bonas, cum gratia tua à me faciendas & omnes afflictiones (quas justè pro peccatis mereor) à me sustinendas in aliquam compensationem tot offensarum & injuriarum, à me tibi illatarum: Insuper offero Tibi intensissimos compunctionis affectus, quos unquam verè pænitentes, & sua vel aliena peccata deflentes elicuerunt, & deinceps elicient, quos omnes si ego solus possem etsi tibi placeret eos mihi dare, & alios omnes possibiles elicere desidero. Offero inquam hæc omnia in unione perfectissimarum lachrymarum tuarum, quibus, Amantissime JESU nostra delicta deflevisti, laborum item & cruciatuum, quibûs eadem expiasti, & omnium meritorum tuorum, per quæ spero veniam peccatorum meorum, & uberem gratiam à misericordissimis visceribus tuis ut me emendem, & piam ac bonam vitam instituam.

Actus Contritionis breviores.

Psalm: 24. Propter Nomen Tuum Domine propitiaberis peccato meo multum est enim. *Thais peccatrix à Paphnutio edocta, sic sæpissimè orabat:* Qui plasmasti me miserere mei. *Macarius Abbas:* Domine sicut vis & scis misere mei. Deus propitius esto mihi maximo peccatori.

Sic dispositus intra Confessionale, devotè humiliter, junctis manibûs, quasi ad lavacrum Sanguinis Christi cum certa spe te in eodem dealbandum & mundandum ab omnibus iniquitatibus tuis.

Præmissa cruce dic: Benedicite Pater Reverende. *Benedictione accepta, præmitte* Confiteor; *usq; ad* mea culpa. *Peccata tua humiliter & integrè confitere quasi ipsi Deo scienti omnia & videnti. Finita Confessione, dices:* De his, atq; aliis mihi ignotis totiusq; vitæ meæ peccatis accuso me doleo propono emendationem, peto salutarem pænitentiam & absolutionem, *Auditâ pœnitentiâ, prosequeris:* Ideò precor &c. *Excipe absolutionem capite demisso, manibûs junctîs, tanquam ab ipsomet Christo tibi datam. Et meditare te cen Petrum amarè flentem, aut Mariam Magdalenam, ad pedes Christi prostratam, ab eodem Christo in gratiam recipi.*

Oratio post Confessionem.

SIt Tibi Domine obsecro, meritis Beatæ semper Virginis Genitricis Tuæ MARIÆ & omnium Sanctorum grata & accepta ista Confessio mea, & quidquid mihi defuit nunc & aliàs de sufficientia contritionis, de puritate & integritate Confessionis, suppleat pietas Tua & misericordia, & secundùm illam digneris me habere pleniùs & perfectiùs absolutum in Cælo. Qui vivis & regnas. &c.

Præparatio ad Missam.

Videatur hic sub 5to Opere Misericordiæ. Taliter ergo mundata & emendata conscientia, jam tibi nemo ex plebe objiciet: Medice cura te ipsum, imo facilè retorquebis, exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Nisi enim pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Lucæ 13. *Habes forsan ex tibi subjectis, remissos, nihil boni operantes, negligentes salutem animæ, remitte illos ad portam inferi, ubi pia meditatione audientes lamenta & stridorem dentium exardescent igne timoris Domini. Etenim (inquit S. Chrysostomus)* Si aspectus mortui hominis tanto pavore mentem nostram contrahit, tanto magis gehenna & ignis ille inextingvibilis. *Reperies non dubito*

quempiam

quempiam recidivum & consvetudinarium. Quid agendum cum illo turbaris & quæris? ℟. imò *Necesse est quòd Confessarius magnam circa istos adhibeat discretionem. Siquidem ejusmodi relapsus non est generaliter signum falsæ pœnitentiæ, sed potiùs fragilitatis humanæ, plurimi enim probitate conspicui relapsi sunt, & contra bina proposita firmiter concepta, quin quandoq; juramento, aut voto firmata denuò peccârunt.* Undè Matth: *18. Petro interroganti quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, &c.*

℟. 2dò. *Si hujusmodi Recidivus post ultimam suam Confessionem se vel paululum emendavit, & aliquem conatum ad se emendandum adhibuit, debet is absolvi, ac moneri ut in proposito perseveret.*

Si remedia talibus apponenda scire exoptas libenter illa ex P. Anacleto Reiffenstuel *huc transfero. 1. Humiliter ac frequenter cum plena in DEUM fiducia petere auxilium ejusdem. 2. Frequenter confiteri, & quidem ordinariè uni Confessario determinato, ejusq; consilia diligenter exequi. 3. Devotè communicare: nam juxta* Concil: Florent: *devota ac frequens Sacratissimæ Eucharistiæ sumptio, est habituum malorum debilitatio. 4. Attentè sæpiùs quidpiam legere de*

gravitate peccati mortalis, ac pœnæ peccati, vel de quatuor novissimis. &c. 5. Confugere per preces ad B. Virginem, tanquam universale refugium peccatorum. 6. Declinare occasiones, Personas, seu Objecta inductiva ad illud peccatum, cujus habet consvetudinem. 7. Sub inde poterit adhiberi remedium, quo apud inveteratum quempiam peccatorem usus fuerat B. Bernardus, svadendo eidem ut triduo abstineat à familiari sibi vitio in honrem SSS. Trinitatis, quod cùm fecisset, consuluit, ut altero triduo in honorem Christi pro se crucifixi, quo iterum observato, persvasit aliud triduum in honorem B. V. M. &c. usq; dum omnis difficultas evanuit, & per contrarios actus successivè totus habitus vitiosus sublatus fuit. Si verò omnia hujusmodi remedia sint frustra hactenus longo jam tempore adhibita, & nullum appareat verum signum doloris, aut propositum emendandæ vitæ, eò quod pænitens, sæpiùs præscripta remedia negligat, aut tepidè persolvat, semper cum eodem numero, vel etiam majori ad Confessionale redeat, ac nullum serium conatum adhibeat, quo tentationibus ac occasionibus peccandi resistat, tali post crebras admonitiones & minas affectuosas adhibitas, tandem ita dictante prudentia, erit absolutio ad tempus denegeanda,

ne

ne Confessarius pænitentem in suis peccatis videatur fovere.

Loquendo in specie de mala consvetudine, quod peccatum mollitiei conducunt remedia sequentia. 1mũ. Frequens Confessio apud eundem Confessarium, qui tamen ægrè non debet ferre, si talis pænitens, una alterave vice alium accedat, ne alias detur ansa Sacrilegæ Confessionis propter erubescentiam pænitentis. 2dum. Frequens Communio juxta SS. PP. speciale antidotum contra libidinem. 3tium Quotidiana devotio erga Immaculatam Conceptionem B V M. per unum alterumve Ave Maria, vel devote recitando. Per Sanctam & Immaculatam Conceptionem tuam purissima Virgo MARIA, emunda cor & carnem meam. In Nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † Sancti Amen. 4tum Fuga otii, nam (ut sonat commune proverbium) Otia si tollas periere cupidinis arcus. 5tũ Memoria Dei præsentis tanquam futuri severissimi Judicis, presertim tempore vehementioris tentationis. 6tum. Repræsentatio viva Christi Crucifixi, per tale peccatum denovo crucifigendi, ubi efficacius proderit talis repræsentatio, si eadem fiat statim ab initio occurrentis impuræ cogitationis, ne alias scintilla parva neglecta, magnum excitet in tali habi-

tuato incendium, & carnis rebellionem. 7mū *Quotidie implorata fiducialiter Divina assistentia, firmum propositum præsertim de mane, ac de nocte tale vitium non amplius committendi.* 8vum. *Sæpè non nocebit si præter motiva supernaturalia etiam adducatur, quantum talis habitus malus obsit sanitati ex quo debilitas memoriæ, vertigo capitis, phtysis, & apoplexia, non rarò in ipso juventutis flore causantur. Et quorsum veniet anima, si talis per subitaneam mortem in longam æternitatem avocetur! momentaneum sanè, quod delectat, æternum quod cruciat. Cæteroquin si & ista non juvent, homini adhuc libero inculcetur illud Apostoli* Meliùs est nubere quàm uri. *Non parvus est labor (inquit* Basilius) *ut se aliquis à non bona consvetudine reflectat, sed neq; tibi levis instat conatus talem à pessimo revocandi statu, unde multiplicem in sua brevi sententia* D. Chrysostomus *suggerit artem.* Vis fratrem corrigere; illachrimare, ora DEUM, apprehensum admone, consule, exhortare, monstra charitatem erga proximum, *monstrabis charitatem si paternè svadebis:* Fili peccasti, non adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare, ut tibi remittantur. *Eccl. 21.* Memor esto unde excideris, & age pænitentiam. *Memor*

mor Imo *esto, quia odio est DEO impius, ait* Propheta Sap: *14. & impietas ejus.* 2do *quia peccatum turpissimis sordibus animam conspurcat.* 3tio *ream efficit æternæ damnationis.* 4to *delet è libro vitæ.* 5to *præsidiô Angelico destituit.* 6to *Servituti dæmonum subjicit.* 7mo *remorsum affert conscientiæ.* 8vo *periculum in graviora peccata labendi.* 9no *obligationem peccati deflendi, pudorem confitendi, & laborem pro iisdem satisfaciendi.* 10. *hominem commutat in bestiam secundùm illud Psalm: 48.* Homo cùm in honore esset, non intellexit, similis factus est jumentis insipientibus; *ad nomen solum peccati mortalis ita exhorrere debemus ac si fulmen de Cælo caderet, vel si infernus ipse ad nos absorbendos dehisceret. Sic pavescebat* D. CRISOSTHOMUS, *referenti enim contra se minas Eudoxiæ Augustæ, respondit.* Ego nil timeo, nisi peccatum. *Similis timor regnavit in corde B. Joannis Cantii, nam summa pietate solus cùm Romam gressus dirigeret, ecce de repente prosiliunt è latebris prædones, etiam spoliatum adhuc vexant & interrogant minaciter: num quid haberet præterea? Cum timor è memoria expulisset, aureos aliquot suo insutos pallio, brevi recordatus, fugientes latrones revocat illisq; residuam spontè offert pecuniam, qui Viri S.*

 candorem

candorem conſcientiæ ſimul & largitorem admirati, etiam ablatos ultro reddidere nummos. Ea ratione & peccantes correxit, & rigoroſus obſervator illius animi Auguſtiani (meliùs eſt vel millies mori quam DEUM vel leviſſimè offendere) *apparuit. Sunt forſan & in tua Parochia peccantes, ut fures, ebrioſi, maledici, in continuo manentes odio, differunt illi Confeſſionem conſequenter & vitæ emendationem, teneris unicuiq; illorum ſive privatim, ſive in communi ex Sacro ſuggeſtu perſvadere* Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius Eccl: 5. *hæc audiens unus & alter, jam ſuſpirat, jam parat animum & materiam ad Confeſſionem, ſub qua ſperat mitiorem correptionem. Corripiet me juſtus in miſericordia, ſciendo quia meliùs eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi* Eccl: 7. *Tu etiam quà Judex, Medicus, & Doctor, quoties ſive vocaris, ſive rogaris, non debes renuere eos audire Confeſſionem. Si te remordeat conſcientia peccati gravioris, ſaltim præmiſſa contritione perfectâ, debes te reſtituere in ſtatum gratiæ. Ceremonias omnes perlegendi ex animo opto in Rituali Sacramentorum quæ ſub hoc titulo continentur: Ordo miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ. Item præmitte in-*

tentio-

tentionem & invocationem Spiritûs Sancti. Cor mundum crea in me DEUS & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tua & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Docebo iniquos vias tuas, & impii ad Te convertentur.

Cùm accedit pœnitens signô Crucis factô super eum dicite:

Dominus JESUS Christus sit in corde tuo, & in labiis tuìs, ut dignè & competenter cofitearis peccata tua ad laudem & gloriam Nominis sui Amen.

Absolutionis Forma.

MIsereatur tui Omnipotens DEus & dimissîs peccatîs tuîs, perducat te ad vitam æternam Amen.

Deinde dextrâ manu versùs pœnitentem elevatâ dicat. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens & Misericors DEus Amen.

Dominus nòster JESUS Christus te absolvat, & ego authoritate Ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunication is, suspensionis, & interdicti inquantùm possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti Amen.

Si pænitens ſit Laicus, omittatur verbum ſuſpenſionis.

Paſſio Domini Noſtri JESU Chriſti merita Beatæ MARIÆ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ Amen.

In Confeſſionibus autem frequentioribus & brevioribus, omitti poteſt Miſereatur &c. *Satis erit dicere:* Dominus noſter JESUS Chriſtus &c. *ut ſupra usq; ad illud.* Paſſio Domini noſtri JESU Chriſti &c. *Urgente verò aliqua gravi neceſſitate, in periculo mortis, breviter dicere poteris.* Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris & peccatis, In Nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti Amen.

Oratio recitanda poſt auditas Confeſſiones.

DOmine JESU Chriſte dulcis Amator & Sanctificator animarum, purifica, obſecro, per infuſionem Sancti Spiritus, cor meum ab omni affectione & cogitatione, vitioſa, & quidquid à me in meo munere, ſive per ignorantiam, peccatum eſt pro tua infinita pietate & miſericordia ſupplere digneris. Commendo in tua amabiliſſima vulnera omnes animas quas ad pæniten-

nitentiam traxisti, & tuo pretiosissimo Sanguine sanctificâsti, ut eas à peccatis custodias, & in amore conserves, in virtutibus indies magis promoveas, atq; ad vitam perducas æternam. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum Amen.

Quoniam teneris, videndo minus aliquando rectè dispositum, ad dolorem efficacē excitare, & motiva à peccatis absterrentia, pro qualitate ac capacitate pænitentis præsertim rudis proponere, ideo hic suggere aliqua motiva. 1mò. *Unicum mortale detraxit Angelos è Cælo ad ignem æternum, Adam & Evam ejecit è Paradiso, & tu post tot mortalia quid non mereris?* 2dò. *Quid tibi boni fecerunt dirissimi tui hostes, Mundus, Caro, & dæmon. Non tibi vitam, non vitæ bona dederunt, & tamen illorum obsequio te mancipâsti, & noluisti obsequi DEO, qui te & pro te tam multa fecit. Quid mercedis pro tuis obsequiis, ab his hostibus recipies? Non aliam mercedem nisi vermem in conscientia, damnum in fama, turpitudinem in anima, pænas æternas in inferno,* 3tiò. *Non auderes in Principem tui peramantem insurger, & ausus es in Regem Regum delinquere.* 4tò. *Unicum mortale privat hæreditate Regni Cælestis.* 5tò. *Angelus peregrinum ducens coram*

cane fœtido nasum non obturavit, coram peccatore verò obturavit. 6tò. *Si scires te statim post peccatum in aliquam bestiam vel monstrũ transformandum, utiq; nolles peccare, & peccâsti. Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* 7mò. *Si scires tibi mox post peccatum omnia quæ habes amittenda, utiq; non peccares & vinctas dedisti sceleri manus, benè gnarus exuendum te aurea chlamyde gratiæ Divinæ, animam sanctificantis, & tamen juxta S. Thomam Bonum gratiæ unius, est majus quàm bonum totius universi.* 8vò. *Amissio omnium meritorum: si justus fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus non recordabuntur.* Ezech. 17. 9nò. *Si stipendia mereris apud Tyrannum utiq; fugeres ab eo. si posses ad Dominum divitem suavem, liberalem, Sanctum. Fuge & ab his hostibus per seriam vitæ emendationem, fuge ad DEUM Patrem tuum, & implebit omnia tua desideria.* 10mò. *Scio quia non optas tibi lites, morbos, & alia mala, igitur fuge peccata, nam inquit S. Chrysostomus homil: 15. de pænit:* Malorum omnium causâ constat esse peccatum; ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, bella, morbi, atq; omnes quotquot nos premunt passiones. *Ergo noli facere mala, & non apprehendent te mala. Circa*

pænitn-

pænitentias congruè injungendas præmitto cum primis saluberrimam Concilii Tridentini doctrinam, quam Sess: 14. C. 8. hîs verbîs proponit. Debent Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & pænitentiam facultates salutares, & convenientes pænitentias injungere ne si fortè peccatis conniveant & indulgentiùs cum pænitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, aliorum peccatorũ participes efficiantur. *Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Habenda ratio statûs, conditionis, sexus ætatis, & dispositio pænitentis, & quantum poterit contrarias peccatis pænitentias injungat, sicut avaris eleemosynam, libidinosis jejunia, vel alias carnis mortificationes.*

Cavendum tamen Cofessario, ne in alterum extremum declinet, nimis leves imponendo, vel nimis durum vel austerum pænitentibus se exhibendo; præstat enim animam parva pænitentia impleta mittere ad purgatorium, quàm cum magna non impleta nec implenda in infernum præcipitare. Demùm peccantem corripien-

tes

tes & imponentes satisfactionem audite quàm levte & leniter vos alloquatur: PAULUS *Galat: C. 5. & 6.* Fratres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui Spirituales estis, hujusmodi instruite in Spiritu bonitatis. Unusquisq; enim onus suum portabit.

Si exigua apparet in tuis pænitentibus correctio, quis scit si non tuus remissus fervor causat defectum? Unde elice actum zeli salutis proximorum. O Dulcissime Salvator qui desiderando salutem Judæ, ejus pedes lavare dignatus es, ut ejusmodi obsequio tuo resipuisset à malo proposito, unde & ego simili modô optando omnibus salutem, & procurando eandem, omne ipsis obsequium meum & laborem offero. Utinam Clementissime DEUS peccatores resipiscant, & requirant te. Utinam omnes hæretici, Schismatici, infideles, Apostatæ, & peccatores obstinati convertantur. Utinam omnes homines te cognoscant, revereantur, diligant & tibi uni serviant.

Post tot tantosq; impulsus quibus te (ae sidem forsan) adigebam ad studium corrigendi peccantes & peccatores ad contritionem & firmum propositum emendandi vitam in melius. Spero in Domino quia etiam sequens devotio desideratum producet effectum.

CORO-

CORONA

Christi Domini Salvatoris Nostri.

Corona vitæ Christi in magna apud pios Catholicos veneratione est, habetq; singnlarem commendationem etiam à Sede Apostolica; constat autem triginta tribus Orationibus Dominicis, totidemq; Salutationibus Angelicis, recitatis in memoriam & honorem eorum Mysteriorum & operum, quæ circa Christum vel per totidem annos vitæ Ipsius acta sunt, quorum proinde in hac Corona.

FORMA RECITANDI *CORONAM CHRISTI.*

In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, Amen.

Dicatur Symbolum Apostolicũ vel Confessio Fidei nostræ, de Christo, ex Symbolo D. Athanasii.

Hæc est fides recta ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noster JESUS Christus DEI Filius, DEUS & Homo est.

DEUS est ex Substantia Patris ante sæcula genitus: & Homo ex Substantia Matris in sæculo natus.

Perfectus DEUS, perfectus Homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem.

Qui licèt DEUS sit & Homo: non duo tamen sed unus est Christus.

Unus autem non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate Personæ.

Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo: ita Deus & Homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos. tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad Cælos, sedet ad dextram Dei Patris Omnipotentis: inde venturus est judicare vivos & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternũ.

Hæc est fides Catholica, quam nisi quisq; fideliter, firmiterq; crediderit, salvus esse non poterit. Gloria Patri &c.

CHRISTI DOMINI
Pueritia, Adolescentia, Juventus.

Post hanc fidei Confessionem decurre brevissima cogitatione tres annorum Christi decades,

& perpende quid per illos annos triginta in illis lateribus Infantiæ, Pueritiæ, Adolescentiæ & Juventutis cum Christo actum sit & quid ipse egerit aut sustinuerit.

LAudent te Domine JESU Christe Universæ Creaturæ & glorificent infinitam charitatem tuam qua ad redimendum genus humanum à servitute peccati & à morte æterna, Homo fieri de Virgine nasci in præsepio reclinari, circumcidi, in Templo præsentari ab Hærode in necem quæri, fugere, vagari, latere, pauperem obscuram, humilem, laboriosam vitam agere, & inter admirandos Sapientiæ gratiæq; fulgores & præclarissima virtutum exempla sub Matris imperio per annos triginta tempus manifestationis tuæ expectare dignatus es, obsecro Te per eandem charitatem tuam & per gloriosam intercessionem Sanctissimæ & super omnia benedictæ Virginis & Matris Tuæ MARIÆ, concede mihi misero peccatori remissionem meorum peccatorum, seriam vitæ meæ emendationem, virtutum tuarum imitationem, in bonis operibus perseverantiam, finem perfectum, & felicem de corpore egressum. Amen.

Recita ter Pater noster, *&* Ave Maria.

In ho mo re. } 1. Amabilis infantiæ & pueritiæ Christi. 2. Innocentissimæ Adolescentiæ Christi. 3. Laboriosissimæ Juventutis Christi.

Primus Annus prædicationis Christi.

Perpende breviter quid hoc annô trigesimo primô ætatis Christi (qui fuit primus annus prædicationis) actum sit à Christo vel cum Christo & dic.

LAudent te Domine JEsu Christe Universæ Creaturæ & glorificent infinitam charitatem tuam, quâ tempore manifestationis tuæ jam appetente.

1. Maternam domum deserere.
2. Inter peccatores comparere.
3. A Joanne baptisari.
4. In desertum migrare.
5. Post continua 40. dierum jejunia à diabolo tentari.
6. Hoste superato, hominibus manifestare.
7. Discipulos in præparationem Evangelii adoptare.
8. Eosdem verbo & exemplô instituere.
9. Annum Dñi acceptabilem prædicare.
10. Mira facere & indigna pati dignatus es.

Obsecro te per eandem charitatem tuam & per gloriosam intercessionem Sanctissimæ & super omnia Benedictæ Virginis & Matris Tuæ MARIÆ concede mihi misero pecca-

peccatori remissionem meorum peccatorum, seriam vitæ meæ emendationem, virtutum tuarum imitatioem, in bonis operibus perseverantiam, finem perfectum & felicem de corpore egressum Amen.

Hôc dicto recita decies Pater noster. *&* Ave Maria. *in honorem 10. operum recensitorum.*

2. Annus Prædicationis Christi.

Perpende etiam hic breviter quæ dicta sunt & dic

LAudent te Domine Jesu Christe Universæ Creaturæ & glorificent infinitam Charitatem tuam, quâ jam alterum prædicationis & publicorum laborum annum saluti meæ impendens.

1. Regiones obire.
2. Cælestis doctrinæ semen ubiq; spargere.
3. Sanare infirmos.
4. Consolari afflictos.
5. Oppressos à diabolo liberare.
6. Peccatores justificare.
7. Mundum Evangeliô illustrare.
8. Divinitatis tuæ fulgentissimos radios ubiq; diffundere.
9. Omnibus benefacere.
10. Mira agere & indigna pati dignatus es.

Obsecro te per eandem Charitatem tuam & per gloriosam intercessinem Sanctissimæ & super omnia Beatissimæ Virginis & Ma-

tris

tris tuæ MARIÆ concede mihi misero peccatori remissionem meorum peccatorum, seriam vitæ meæ emendationem, in bonis operibus perseverantiam, finem perfectum & felicem de corpore egressum Añ.
Hôc dicto recita decies Pater noster *&* Ave Maria. *in honorem 10. recensitorum operum.*

3. Annus Prædicationis Christi ejusq; Passio & Mors.

Perpende breviter quid actum annô trigesimo tertio ætatis Christi & dimidio & dic.

LAudent te Domine JESU Christe Universæ Creaturæ, & glorificent infinitam Charitatem tuam, quâ post innumeros triginta trium annorum ac dimidii pro salute mea susceptos labores, post toleratas omnes (excepto peccatô) mortalitatis nostræ miserias famem & sitim, frigus & æstum, pauperiem & nuditatem, fatigationes & sudores, probra & contumelias, persecutiones & insectationes, mærores & dolores, post impensum ingratæ genti cælestis doctrinæ thesaurum, post edita inaudita miracula & excellentissimæ virtutis exempla, expleturus tandem opus Redemptionis nostræ.

1. Sudore sanguineo inter ineffabiles animi mærores perfundi.

2.

2. In manus inimicorum tuorum à Diſcipulo tradi.
3. Captivari, ligari, dirè tractari.
4. Ad varia Pontificum, Præſidum, Regumq; tribunalia circumduci.
5. Falſo & nullo juris ordine ſervatõ accuſari & damnari. (flagellari.
6. More contemptiſſimi ſervi denudari &
7. Spinea coronâ acerbiſſimè cruciari.
8. Cum iniquis deputatum in medio latronum cruci clavîs affigi.
9. Ignonim ioſiſſimam pariter ac crudeliſſimam mortem appetere.
10. Te totum nobis in pretium Deo Patri in holocauſtum offerre dignatus es.

Obſecro te per eandem Charitatem tuam & pergloriosam interceſſionem Sanctiſſimæ & ſuper omnia Benedictæ Virginis & Matris tuæ MARIÆ, concede mihi miſero peccatori remiſſionem meorum peccatorum; ſeriam vitæ meæ emendationem, virtutum tuarum imitationem, in bonis operibus perſeverantiam, finem perfectum & felicem de corpore egreſſum. Amen.

Hôc dicto, recita decies Pater noſter *&* Ave Maria. *in honorem earum paſſionum, quas pro te ſuſtinuit Dominus.*

Conclu-

Conclusio Coronæ.

DIgnus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem & Divinitatem & Sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem sedendi in Throno & Agno benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum Amen.

℣. Benedic anima mea Domino.
℟. Et omnia quæ intra me sunt Nomini Sancto ejus.
℣. Benedic anima mea Domino.
℟. Et noli oblivisci omnes tribulationes ejus.
℣. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.
℣. Qui sanat omnes infirmitates tuas.
℣. Qui redimit de interitu vitam tuam.
℣. Qui coronat te in misericordia & miserationibus.
℣. Qui replet in bonis desiderium tuum.
℟. Quando renovabitur ut aquilæ juventus tua.
℣. Adoramus te Christe & benedicimus tibi.
℟. Quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEUS qui humano Generi ad imitandum humilitatis exemplum Salvatorem nostrum carnem sumere & crucem subire fecisti, concede propitius ut patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur. Per eundem Christum Dominum nostrum Amen.

O! Dulcissime Domine JESU Christe.
Pro pietate tua exaudi voces meas.
Meritîs tuîs adjuva preces meas.
Sanguine tuo purga peccata mea.
Livore tuo purga vitia mea.
Corpore tuo castam fac carnem meam.
Animâ tuâ sanctam fac mentem meam.
Spiritu tuo reforma sensus meos.
Exemplo tuo informa actus meos.
Sermone tuo erudi linguam meam.
Nomine tuo dirige vitam meam.
Vita tua corrobora vires meas.
Cruce tua contempera pœnas meas.
Amore tuo inflamma pectus meum.
Morte tua communi finem meum, Amen.

Ultimus & quidem probatissimus modus resipiscendi ab iniquitate, subsequens studium assummere.

STUDIUM

Sacræ solitudinis annuatim eligendæ.

D. GREGORIUS Nazianz: *eo devotæ mentis otio oblectari solitus appellat illud Oratione 41.* In omnibus morbis animi medicinam. *Est autem Sacra solicitudo seu Recessus annuus, cessio quædam ab omni cura negotiorum quorumcunque per dies aliquot; ut quiete sinè negotiorum impedimento, anima DEUM quærens, ac desiderans, & piis meditationibus, & libellorum optimorum lectione, & discussione interna conscientiæ, & corporis afflictione, contritione cum gemitu & fletu, propter offensam DEO factam, & confessione omnium peccatorum, ex integro purgetur, & in melius renovetur.*

Causæ hujus solitudinis ineundæ assignantur à Patribus Spiritualibus sequentes. 1. Deliberatio de statu vitæ deligendo. 2. Præparatio ad Sacros Ordines suscipiendos. 3. Morum reformatio ad meliorem vitæ rationem statuendam. 4. Cognitio suimetipsius accuratior. 5. Renovatio virtutis, à qua sentit aliquis se deflexisse, sensim negligendo & omittendo fervorem primum. 6. Gubernatio aliorum. 7. Vocatio ad concionandi munus, ut cum ingenti fiat animarum lucro. 8. Ante institu-

institutionem ad Beneficium curatum propter acquirendum zelum & animum laborandi in Vinea Christi. 9. Professio solennis in aliquo Monasterio. 10. Praeparatio ad felicem ex hac vita migrationem.

Non est hoc novum orandi genus, cujus exemplum reliquit nobis Salvator mundi, nam incboaturus opus redemptionis nostrae, abiit in desertum ubi jejunavit 40. diebus & 40. noctibus. Similiter electurus ex 72. Discipulis 12. Apostolos, Exiit in montem orare & erat pernoctans in Oratione DEI. Secuti sunt ejus exemplum Augustinus, Hieronymus, Martinus Turonensis Templum idolorum aequare solo, molitus, triduo secessit, cilicio se induit, jejunavit, Domini auxilium precibus postulavit, & quod moliebatur auxiliante Divina manu complevit. Secessum similem triduanum S. Stanislaus Polonus praemisit priùs, quàm Petrum ante tres annos mortuum, è sepulchro redivivum educeret, & ante Judicem Regem testificandae veritatis causa sisteret.

Adjumenta ad rectè meditandum.

Primum *est locus idoneus, idest ab omni strepitu remotus.*

2. *Tempus certum & stabile, quod circa justam causam non immutetur. Convenit autem in Meditatione expendi integram horam.*

3. *Situs corporalis modestus & devotus, ut genibus flexis. Quod si diu non potes, pedibus insistas, ita tamen ut ad genuflexionem paulo post redeas.*

4. *Si autem aliquo in puncto senseris spirituali sensu vehementius moveri, non illico transilias ad aliud: sed in illo nonnihil immoreris, donec gustui satisfeceris. Et si ante percursa tria vel 5. Meditationis puncta hora dabatur, non sis solicitus ad cætera progredi: poteris enim id facere sequenti vice, repetitis breviter iis, in quibus gustum spiritualem sensisti.*

5. *Si autem DEUS aliquando immittat tibi vehementiorem affectum,* v.g. *ut prorumpant lachrymæ, humiliter eum admitte, & quamdiu DEUS dederit continua, maxmè si sponte à te concitatus sit, ne lædatur caput. Prodest autem plurimum hic affectus, si confessionem generalem de tota vita, vel de toto anno facturus, optares te excitare ad contritionem veram & perfectam, quam Theologi dicunt valere ad expiandam omnem culpam & pœnam.*

6. *Quod si contingat inter meditandum omni gestu solatioq; animum destitui, si ex tua impræparatione, percute pectus. Si ex permissione Divina, protestare:* Ego non incæpi hanc Meditationem meam propter meum solatium,

ſed ex mero amore DEI: Quare eandem ex eodem amore perficiam.

7. *Quotidie opus aliquod pœnitentiæ, cum conſenſu tamen Confeſſarii perage, cujusmodi ſunt, flagello ſe cædere, cingulo vel cilicio ſe accingere, in cibo ſibi ipſi aliquid ſubtrahere; non tamen æquè in ſomno, ut capi tota die intenſum, nocturnâ quiete relevari poſſit.*

8. *Si vero multis agiteris distractionibus, reſiſtes illis, & licet ſæpius redeant tu proſequere quod inchoâſti.*

9. *Prima dies impenditur potiſſimum comparandæ diſpoſitioni, quæ ad exercitia ritè peragenda requiritur, & ideo ſemel & iterato hæc monita leguntur, nec non ordo exercitii quotidiani unà cum aliis quæ ibi notantur. Deinde immediatè antequam ſeſe applicent lectioni, proni in genua brevem præmittunt orationem, ut gratiam impetrent ſalutarem, fructum ex illa percipiendi: ſolet autem dici,* Veni Sancte Spiritus &c. *aut æquivalens oratio. Quæ ſub Lectione & Meditationi conſilio & propoſita obvenient annotentur. Peracta lectione, genuflectunt ſecundò, ut gratiam exequendi fideliter, ea quæ propoſuerunt obſervent.*

10. *Deinde non parùm ad fructuoſam Meditationem inſtituendam valet, ſi DEUM in*

omnibus actionibus tuis, ut verè est, cogites præsentem; si sensus externos custodias præcipuè oculos, aures, linguam.

11. Tertia die debent esse ad Confessionem parati: postridie verò ad Communionem vel ad celebrandum (si sunt Sacerdotes) accedunt.

12. Omnes pari studio nituntur hæc peragere. 1. intentione recta seu propter perfectam Spiritus renovationem. 2. attentione sedula. 3. animô forti & multa spe proficiendi. 4. fidelitate & stricta observantia ordinis præscripti. 5. sinceritate cordis & debita Directori, qualiscunq; sit animi sui submissione. 6. patientia & exhibitione conformitatis ad Divinam voluntatem in tentationibus, desolationibus, ariditate mentis &c. 7. in perseverantia in exequendis prædictis omnibus usq; ad extremum exercitiorum.

13. Attende ut hoc tempus summa animi puritate transignas, neq; ullum in eo veniale peccatum deliberatè & advertenter admittas.

N B. Habitîs jam ad manum præcedentibûs & subsequentibûs informationibûs, atq; meditationibûs fortè cogitas domi hanc eligere solicitudinem, sed quem haberes conscientiæ Directorem? forsan servitorem S. FRANCISCUS Xaverius à converso ad fidem Indiarum Rege hoc privilegium obtinuit, ut omnes Pagani

Idola

Idola sua comburerent, quorum unus lamentatione indigna motus, veniens domum sic lamentabatur O Dii mei! Dii ubi vos abscondam? *Forsan & tu turbaris:* O nummi mei! nummi ubi vos abscondam? *absconde in manu pauperis, & migra in hanc solitudinem, ibiq; magis disces.* Quomodo thesaurizare, thesauros in Cælo. *Apostoli Antecessores nostri Perfectissimi Magistri sui JESU Christi prompti voluntatis sequaces pro tota vita* Matth: *9. reliquerunt domum, Patrem, Matrem, uxorem; consilio huic & tu saltim in modica anni parte pro Christi & salutis amore non acquiesces? Si sponte nolueris, certè coactus aliquando evocaberis:* Egredere de domo tua & de cognatione tua.

Habent laudem & communem usum Patris Buzæi, *tum aliorum Ascetarum; nec non Perillustris Clarissimi & Admodùm Reverendi Dñi* M. *CASIMIRI STĘPLOWSKI, S.Th. Doctoris, Academico-Diœcesani Seminarii Præfecti Meditationes. Si illarum explanaverunt, ad manum* v. g. Buzæi *placeant præsentes* MATHÆI *brevia sunt, licèt ad 5.6. Puncta redacta. David cum 5. limpidissimis lapidibus processit ad versum Goliath & prostravit illum. Hæc Puncta seu Dies 5.* Re*collectionum, vero solitario erunt velut 5. lapides, quibus debellabit 5. hostes*

animæ

animæ suæ hic sub Titulo: Ignorantem docere *memoratos. Duo verba Sacræ Scripturæ* v. g. *pro Themate assumpta in longas vobis Spiritus Sanctus facit transire Conciones. Quinque sensus pro singulis dierum horis assumpti, cùm etiam dona Ejus sint, profunda indubitanter è pectore vestro suspiria, copiosas ex oculis lacbrymas, & plurima pia proposita educent.*

SYNOPSIS ORATIONIS MENTALIS, Ad mentem, D. FRANCISCI SALESII Episcopi Genevensis expressa.

Oratio mentalis tribûs partibûs constat.

- Præparatione, quæ tres Actus continet, puta.
  1. Sistere se coram DEO.
  2. Postulare gratiam bene precandi.
  3. Rem, de qua meditandum est, sibi ob oculos ponere.
- Meditione, quæ alio nomine corpus orationis dicitur: & hæc item tres actus habet.
  1. Discursu ac Considerationibûs uti in rem proposita.
  2. Pios affectus elicere.
  3. Proposita statuere. vel de bono agendo, vel de malo vitando.
- Conclusione, quæ tres etiam habet.
  1. De progressu orationis gratias DEO referre.
  2. Quæ proposueris eidem offerre.
  3. Postulare gratiam præstandi quæ propusueris.

ORDO

ORDO DIURNUS

Tempore Recollectionum, quinq; dierum.

De Mane.

Horâ 5tâ surgitur. Visitatur Venerabile Sacramentum.

Media ad VI. Meditatio per horam; post quam recitabuntur Horæ parvæ in communi.

Hora VII. Missa devotè audietur, qua finita, reditur ad cubiculum, & notantur Resolutiones in Meditatione factæ. Reliquum tempus insumitur vel in præparatione ad Confessionem, vel in alio pio exercitio.

Quadrãte post VIII. Lectio præscripti libri Spiritualis.

Horâ IX. Meditatio per horam. Quâ finita, notantur Resolutiones. Fit ad Confessionem generalem præparatio, vel devotione privata occupabitur.

Horâ XI. Prandium cum prævio Examine particulari. Post prandium, Visitatio Venerabilis Sacramenti.

à Prandiis.

Post XII. Colloquium Spirituale cum Directore.

Horâ I. Lectio Vitæ alicujus Sancti vel alterius libri Spiritualis per tres quadrates. Postquam fit Meditatio per mediam horam. Annotatio propositorum.

Mediâ ad III. Vesperæ cum Completorio recitantur, quibûs finitîs fit præparatio ad generalem Cofessionem.

Dicitur Matutinum & Laudes pro die quo finito, fit lectio Spiritualis per quadrantem circiter.

Horâ V. Meditatio per horam. Quâ finitâ, notantur Resolutiones, & unusquisq; poterit se occupare privata devotione.

Media ad VII. Examen particulare, cæna postquam visitatur Sanctissimum.

Media hora post cænam. Colloquium Spirituale. Particulare Examen. Preces Vespertinæ. Horâ 9nâ nocturna quies.

Commendatur.

1mò. Silentium strictè servandum toto hoc tempore Recollectionum.

2dò. Audienda vel legenda attentè materia Meditationis.

3tiò. Punctualitas pro omni exercitio suîs horîs.

4tò. Occupationes inutiles & distractivæ ac. lectiones prorsus alienæ à Recollectione Spiritûs, penitùs deserendæ

ORDO MEDITATIONUM,

Tempore Recollectionum.

Dies primus.

Meditatio 1ma.

De præparatione ad Recollectiones. 2da. De Oratione mentali. 3tia. De Beneficio Creatio-nis. 4ta. De Beneficio Redemptionis.

Dies 2dus.

Meditatio 1ma De gravitate peccatorum maximè Ecclesiasticorum. 2da. De Confessione peragenda. 3tia De satisfactione pro peccatis. 4ta. De morte.

Dies 3tius.

Meditatio 1ma. De Judicio particulari. 2da. De Inferno. 3tia. Legitur Actus Contritionis. 4ta. De præparatione ad Communionem.

Dies 4tus.

Meditatio 1ma. De Imitatione Christi. 2da. De sincera erga B.V. MARIAM devotione. 3tia. De Gloria Cælesti. 4ta. De Mortificatione.

Dies 5tus.

Meditatio 1ma De sobrietate. 2da. De Castitate Ecclesiasticorum. 3tia. De Recidivo. 4ta. De Perseverantia.

In crastinum fit Meditatio super Resolutionibus factis, & ad effectum deducendis.

Prima

Prima Die.

MEDITATIO I.

De Præparatione ad Recollectiones.

Punctum I. Sicut qui vult bene fari, debet priùs præmeditari; ita qui optat fructuosè meditari, debet priûs ruminari & quidem adeò attentè omnes hucusq; informationes, ut mente semper sub totis Recollectionibus retineat,

Punctum II. Flexo poplite invoca auxilium de Cælo per sequentem Orationem: *Veni S. Spiritus*, & relege omnes præscriptiones.

Punctum III. Finita hac non tam lectione quàm Meditatione, profùnde suspirabis: *Domine DEUS meus qui duxisti me in hanc solitudinem, præparationem cordis mei, audiat auris tua, sedebo hic solitarius & tacebo, tu solus loquere ad cor meum, velociter audiam, quidquid in me loqueris.*

Punctum IV. Memor sum: *quia finis horis exercitiorum est perfecta spiritûs renovatio. Ingemisco ergo benignissime Domine, & doleo medullitùs, quod tuæ gloriæ meæq; saluti, tam parùm hactenus studuerim.*

Punctum V. *Neq; hæc exercitia incipio ea mente, ut spiritualem aliquam dulcedinem &*

solatium

solatium in iis degustem, sed ut agnoscam, quid mi DEUS à me fieri & omitti velles, utq; omnem affectum meum discam à terrenis rebus avellere, & illum penitùs tibi Conditori meo affigere.

MEDITATIO II.

De Oratione mentali.

Punctum I. AUdi quid Christus Joã: cap. 4. de hac Oratione loquitur: *Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate; nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.*

Punctum II. Considera cur quotidie pèr aliquod tempus Orationi mentali vacare debeas? *1.* Voluntas est DEI, ut supra memoravi. *2.* Remedium adversùs omnia, etiam gravissima peccata efficacissimum, ita ut quicunq; licèt sceleratissimus, & omni vitiorum generi deditus, ei seriò per aliquot menses vacaverit, in perfectum virum evadet.

Punctum III. *1.* Oratio mentalis omnes actus nostros juxta rectam orationis regulam dirigit & componit. *2. Rectè novit vivere inquit* D. AUGUSTINUS *qui rectè novit orare; Et ille solus rectè novit orare, qui mentali orationi solet incumbere.*

Punctum

Punctum IV. Modus mentali Orationi vacandi est sequens. 1. Quotidie manè per horam vel semi horam ad minùs in ea te exerceto. 2. Omnia quæcunq; in tuis Meditationibus proposueris, fideliter adimplere. 3. Semper Orationem tuam vel ad aliquod vitium eradicandum vel ad virtutem comparandam, vel deniq; ad tua erga DEUM, proximum & teipsum munera perfectiùs obeunda dirigere.

Punctum V. Considera te à quotidiano mentalis orationis exercitio nulla legitima excusatione dispensari posse. Tempus enim, ut cibum corporalem sumas, non tibi deest. Pudeat te ergo ad sumenendum spiritualem multò magìs necessarium non invenire; cujus necessitatem & utilitatem expressit D. Augustinus lib: de Spiritu & anima Cap: 70. *Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio verò perficit orationem. Abhinc ergo Domine DEUS sine meditatione sive orando, sive psallendo meditatio cordis mei in conspectu tuo erit semper.*

MEDITATIO III.

De Beneficio Creationis.

Punctum I. CReavit DEUS hominem ad imaginem suã Gen: 1 ℣. 27.

Ad

Ad imaginem quidem, quia intellectu, voluntate & memoria præditum, ad similitudinem verò, quia omnium virtutum pulcherrimarum capacem: quæ sunt quidem Divinæ naturæ quasi characteres.

Punctum II. Perpende copiam supernaturalium mediorum, quæ tibi Divina bonitas subministravit, ut iis finem tuum ultimum, Cælestem scilicet Beatitudinem consequare. Natus es Christianis parentibus, sacro tinctus Baptismate. Parentes tui omni te cura educârunt. DEUS tibi Angelum Tutelarem dedit, qui tui custodem agat. Ipse DEI Filius tuâ causâ Homo factus est, ut verbîs ut exemplis suis te viam salutis edoceret. Is Sacramenta in tubos, gratiam animæ tuæ infusuros, benignè est largitus? Quot libros pios DEI Spiritu plenos evolvisti? quot Conciones saluberrimas audire tibi datum est? Quàm fortes & quàm crebros in omne bonum impulsus à DEO sensisti? & tamen hæc omnia salutis media tu vel neglexisti, vel nonnisi segniter ea usurpâsti. O! te aliquando miserum, cum horum rationes à te DEUS exiget, & sciscitabitur: *Ecce quinq; talenta dedi tibi, ubi sunt alia quinq; quæ super lucratus es?*

Punctum III. Quis finis hominis in hac vita? Respondet Ecclesiasticus cap: *12.* ℣. *13.* *DEUM time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.*

Punctum IV. Nulla quiete interna fruitur quisquis in hoc mundo, aliquid prætet DEUM quærit. Amas divitias? velut spinæ aculeis, sic cor tuum curis compungent; vanam gloriam? evanescit ut fumus; voluptatem carnis? hanc semper pœnitentia sequitur, pudor & dolor. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Prov: *14.* ℣. *10.*

Punctum V. Pauci homines fini suo vivunt convenienter, & salvi fiunt. *Omnes quærunt quæ sua sunt, & non quæ sunt JESU Christi.* Phil: *2.* ℣. *22.* & inde fit homines turmatim, ut floccos nivium ruere in gehennam & maximam partem damnari. *Ad fidem inquit* S. GREGORIUS, *plures veniunt, ad Cæleste Regnum pauci perducuntur. Pleriq; DEUM vocibûs sequuntur moribûs fugiunt.* Homil: *18.* Væ igitur mollibus & delicatis. Tu revoca in memoriam zelum insatiabilem, inexhaustos labores, quibûs Cælum promeruere BB. Confessores, Martyres, Apostoli & ipse Christus. Quàm seria ac solida sunt eorum hac super re monita?

Verba

Verba autem Christi sunt hæc: *Contendite intrare per angustam portam* Lucæ 13. ℣. 24.

MEDITATIO IV.

De Beneficio Redemptionis.

***Punctum* I.** CONsidera à quo sis redemptus, nempe à Filio DEI, tuo Creatore & Conservatore, qui humanam naturam assumere dignatus est, ut perfectissimo modo te redimeret à peccatis, & perpetua damnatione inferni, quam per peccatum merebaris, cui plus debemus pro Redemptione, quàm pro Creatione. Magnum quidem nobis præstitit beneficium, cum nos ex nihilo creavit: sed nullum circa id pertulit laborem, nullamq; sensit molestiam, verbô id duntaxat uno *Fiat* perfecit, prout testatur Psalt: *Ipse dixit, & facta sunt: Ipse mandavit & creata sunt.* Sed Redemptio nostra multò pluris ei constitit, dum innumeros sustinuit propter eam labores, dum acerbissimos dolores tulit, dum vitam, Sanguinemq; profudit, dum Animam posuit pretiosissimam.

Punctum II. Considera magnam Passionis Christi acerbitatem fuisse, ut ipsi in horto oranti cogitatio sola futurorum cruciatuum sudorem sanguineum toto corpore

expreſſerit. Flagrîs plurimîs conſciſus, colaphîs contuſus, ſputîsq; oppletus eſt. Et ſuper hæc trabem Crucis ad montem Calvariæ ipſe ſuîs humerîs jam convulneratîs geſtare coactus eſt: ſub cujus pondere non ſemel corruit. Reſpice oculô pietatis in ſic corruentem, & ingemiſce: Ah pro meis pro meis frequentibus poſt tot propoſita relapſibus, in varii generis flagitia Dominus meus & DEUS labitur ſub grandi onere Crucis. Abhinc Domine adjuva me ut ſemel verâ pœnitentiâ ex cæno vitiorum elevatus & in via perfectionis conſtitutus, firmus perſiſtam in tuo amore & obſequio.

Punctum III. Conſidera à quantis malis ſis redemptus. *Imò* enim redemptus es à peccatis, quorum tanta eſt gravitas ut expiari non potuerint, niſi Sanguine Filii DEI. 2. à perpetua tyrannide & ſervitute diaboli, cui per peccatum eras mancipatus. 3. ab igne æterno, diabolo & Angelis ejus parato.

Punctum IV. Conſidera quantum amorem in hac re erga te & omnes homines DEUS demonſtravit, nempe quantum maximum potuit. Nam cum non poſſet pro ſuis peccatis ſatisfacere ullus homo, ſi DEUS non fieret homo, ipſe pro homine

voluit

voluit fieri homo & quidem mortalis & passibilis, ac potiùs mori pro homine, quàm ut periret homo. Non secus ac magnus Rex aliquis pro homine vilissimo mancipio, quod pro gravissimis sceleribus nullo supplicii genere compensare posset partis læsæ offensam vel seipsum vel filium suum mactandum offerret.

Punctum V. Quis ergo contemplando tantum Filii DEI erga nos amorem, mutuo erga illum amore non exardescat? prout nos Discipulus amoris monet: *Nos ergo diligamus DEUM, quoniam ipse prior dilexit nos.* Cujus cor non turbabitur cum S. BERNARDO: *Quid rependam Amatori, qui elegit pro me mori.* D. THOMAS 22. q. 107. a. 2. tres gradus gratitudinis assignat 1. ut quis beneficium agnoscat 2. ut laudes & gratias agat. 3. ut compenset pro facultate. Ergo primo agnoscamus hoc beneficium sæpè id particulatim meditando. Docuit hanc gratitudinem, & piissimum exercitium ipse Dominus sacratô suô Titulô in fronte insignitus, S. Edmundum adhuc puerulum, postea Cantuarien: Episcopi, uti refertur in ejus vita apud *Sur.* 17. *Nov:* *A quo tempore Edmundus nocte & die studuit Passionem Christi animo versare, in eaq; meditanda medullitùs delectari.*

Non dubito quòd & tu desideras meditari, sed petis modos tibi suppeditari? *Pater Druzbicki* enumeravit illos 65. Tibi se multi offerunt in præsenti libro: Ut Orationes in fine Horarum cum Indulgentiis 2. Missam audiendi ad imitationem S CASIMIRI seu cum pia recordatione mysteriorum Passionis Christi. 3. Corona vitæ Salvatoris. Corona Scapularis B.V.M. & multas precationes reperies hic sub Titulo: *STUDIUM* Improborum injurias patienter ferendi. 4. In honorem Passionis ejus aliquid patere; aspectu JESU in Cruce patientis dulcescet, quidquid tibi amarum videtur. Ex hoc motivo S. VITALIS percussus innocenter in faciem respondit: Repercuterem si Christianus non essem, seu imitator patientis Christi. 5. Prædicemus hoc beneficium adeò fervidè, ut sit cum vera plebi compunctione de peccatis, & cum pia compassione super patiente pro salute nostra Christo JESU. 6. Introduc Viam Crucis, seu Stationes ad tuam Ecclesiam. 7. Habeto in residentia Imaginem Passionis: procide quotidie coram illa in genua dicendo: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Crucem & Passionem tuam redemisti mundum.* Mentalem Orationem ante illam institues

stitues

ſtitues. In adverſitate reſpirium quære. In tentatione auxilium. Exemplo præeſt S. AUGUSTINUS: *Cum me pulſat aliqua turpis cogitatio recurro ad Vulnera Chriſti Domini.*

Ut ſcias bene mori, ſtude ſequentes Reflexiones piè & attentè frequenter relegere.

Chriſtus DEUS noſter orans in monte Olivarum tanto mærore obruebatur, ut videretur jam expiraturus, unde inquit Evangelium Lucæ 22. *Factus in agonia ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram; & ex hac animi amaritudine: cœpit tædere, pavere & mœſtus eſſe.* Inter evangelizandum quodam tempore Apoſtoli adeò gravati erant tribulationibus ut tæderet eos vivere: Similiter Chriſtus Dominus ob magnam ingratitudinem Judæorum & avulſionem Diſcipulorum cœpit tædere. Videns autem Judam cum armata militum cochorte appropinquantem cœpit pavere ut homo, triſtis autem erat anima ejus quod Paſſio ipſius pluribus eâ uti nolentibus inutilis futura erat. Veniet profectò tempus & procertò veniet, quòd & tu eris in agonia. Noſter JESUS cæpit tædere quia avulſi erant ab eo Apoſtoli. Te ſimliter non ſolùm aulici ſed & amici ut ſorores fætentem

tentem Lazarum fastidient, aversabunt faciem tuam pallidam, manus pedesq; gelidos, & sibillabunt inter se de proxima tua morte, de indusio mortali, & de sarcophago: o quanta tædia! o quanti mærores occupabunt mentem tuam sub illo tempore! Christus videns appropinquantem Judam cœpit pavere: O quantus horror invadet cor tuum! quando non unus Judas sed plures dæmones tibi morienti apparebunt inchiantes in perditionem animæ tuæ. Christo in sua agonia existenti apparuit Angelus de Cælo confortans eum Lucæ 22. Attenti & attenuati erunt oculi tui suspicientes in excelsum expectando in auxilium & præsidium aliquem bonum de Cælo Spiritum. Christus in agonia existens oravit Patrem dicens: *Pater si vis transfer calicem Passionis & mortis istum à me, verùm tamen non mea voluntas sed tua fiat.* Resigna te ut tuus Salvator Voluntati Divinæ. *Imo* protestare: Volo amantissimæ JESU mori in testificationem gratitudinis meæ pro morte tua, quam pro me sustinuisti. *Christus propositô sibi gaudio* inquit Apostolus *Hebr.* 12. ℣. 2. *sustinuit Crucem*. Proposuit autem sibi gaudium secuturum ex Redemptione generis humani,

Resur-

Resurrectione sua & in Cælum Ascensione. Proponit & tibi inter amaritudines & angustias mortis gaudium spes de remissione peccatorum in infinita misericordia DEI fundata. Christus in agonia oravit Patrem, tu ingemisces dicendo: *Commissa mea pavesco, & ante te Domine erubesco, dum veneris judicare, noli me condemnare, sed parce peccatis meis,*

Dies Secundus.

MEDITATIO I.

De gravitate peccatorum, maximè Ecclesiasticorum.

Punctum I. PEccatum mortale conciliat summum odium & iram DEI adversùs peccatorem. *Odio est enim DEO impius & impietas ejus. Sap: 14.* Constat, DEO esse exosum, ex gravissimis, quibûs illud castigavit pœnis, primò in Angelis, deinde in hominibus. Quam felix & fortunata fuit Luciferi, & Angelorum sodalium conditio, antequam peccatô contaminarentur, depingit eam *Ezechiel: Tu signaculum pulchritudinis plenus sapientiâ, & perfectus decore; omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Ezech: 28. ℣. 13. At ubi Divino mandato jubebantur sese DEO Homini

mini submittere, si Dei Filius humanam naturam assumeret, reluctati sunt Lucifer & ejus asseclæ. Ecce tibi eodem loci vestigio, id impletum est, quod Christus postea edixit: *Videbam Sathanam, sicut fulgur de Cœlo cadentem* Lucæ *10.* ℣. *19.*

Punctum II. Peccatum mortale abominabile esse debet ipsimet homini delinquenti, etenim reum efficit æternæ damnationis, præsidiô Angelicô destituit, & servituti dæmonum subjicit, periculum in graviora labendi causat, obligationem peccati deflendi, pudorem confitendi, & laborem satisfaciendi adfert, & alia innumera mala in miseram animam per peccata devolvuntur.

Punctum III. Considera, inde quoq; cognosci peccati, maximè mortalis fœditatem, & ideò magnoperè esse fugiendum, quod nihil æquè exhilaret antiquum nostrum hostem diabolum. Hoc ex tribus signis colligitur. Primum est, quia in tota rerum natura, non aurum, non argentum, non lapides pretiosos, non cibi potusq; lautitias quærit; sed tantùm animas, quemadmodum in *Gen.* *14.* adumbratur, ubi dicit Rex Sodomorum in Persona diaboli: *Da mihi animas, cætera tolle tibi:* Ita enim

D. Gre-

D. GREGORIUS exponit. Alterum signum quod dæmoni placeat pecatum, quia assiduò tentat. Licèt enim infinita hominum millia, propter impietatem, hactenus in tartara præcipitata sint, & in dies præcipitentur: non tamen fames ejus expletur, sed pergit *circuire sicut Leo rugiens, quærens quem devoret*, ut loquitur Apostolus Petrus *1. cap: 5.*

Punctum IV. Quoniam in Completorio Officii Divini hæc nobis incompleta malitia dæmonis quotidie in memoriam reducitur, specialiter ergo nos cautos esse oportet, ne veniamus in prædam & escam ejus. Non quærit enim diabolus quos jam subegit (*inquit S. Cyprianus*) *eos pergit lacessere in quibus cernit Christum habitare. Nolite ergo locum dare diabolo monet Aposto: Eph: 4.*

Punctum V. Peccatorum status deplorandus, etenim multîs repletur miseriîs. Malorum omnium causam constat esse peccatum (*inquit S. Chrysostomus*) ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atq; omnes quotquot nos premunt passiones. Unde Dominus ostendere volens malorum omnium causam esse peccatum, paralytico dicit: *Vade sanus factus es, noli amplius peccare, ne tibi aliquid*

deterius contingat. David piissimus Regum multîs à DEO propter peccata flagellatus pænîs, quibûs emendatus, penitùs omnia sprevit vitia uti *Psal: 118.* fassus *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.* Regis ergo ad exemplum tu quoq; tanquam à facie colubri fuge peccata.

MEDITATIO II.
De Confessione Generali.

Punctum I. LAudat & commendat D. BERNARDUS Confessionem *ep: 113.* Boñum animæ ornamentum Confessio, quia & peccatorem purgat, & justũ reddit purgatorem.

Punctum II. Considera Confessionem generalem omnibus esse necessariam, qui in anteactis confessionibus defectum essentialem admiserunt: quod potissimùm in quinq; casibus contingit. *1mus* est quando pœnitenti sufficiens dolor de peccatis defuit. 2. Quando firmum non habuit propositum in posterum peccata vitandi. Vel non habuit constantem voluntatem fugiendi proximas ocasiones peccandi, aut bona malè parta restituendi, aut injuriam honori alieno quoquomodo illatam resar-

ciendi

ciendi, vel in gratiam cum inimicis redeundi. 3. quando integritas Confeſſionis culpâ ſuâ defuit. 4. quando ſponte peccatum aliquod lethale celatur. 5. quando ſcienter circumſtantia peccati aliqua neceſſario exprimenda omittitur.

Punctum III. Utilitates Confeſſionis generalis ſunt ſequentes. 1. Vehementior dolor percipitur, 2. difficultas illa ac pudor qui in exprimendis culpis omnibus anteactæ vitæ ſubeundus eſt, minuit expiationem in Purgatorio reſervatam. 3. Actus ille humilitatis, qui in propalatione peccatorum iterum elicitur, novas promeretur à DEO gratias, & multùm roboris ad reſiſtendum peccato. 4. hoc pacto Confeſſario meliùs innoteſcit animæ ſtatus, propenſiones, & peccatorum radices; unde meliora poſſit animi morbis adhibere media. 5. ſummum inde percipitur levamen, ac tranquilitas animi: ita ut nihil verendum ſit, quod in extremo judicio arguatur.

Punctum IV. 1. Procumbe in genua & ora: *Veni S. Spiritus &c.* Enixè poſtulando gratiam ut illuminet conſcientiæ tenebras. 2. accuratè penſandum nullne defectus irrepſerint ex memoratis hic in

primo

primo puncto in anteactis Cofessionibus. 3. Revocabis tibi in memoriam peccata tua quibus DEUM offendisti, quod facilè expedies si tabulam peccatorum vel hic cathalogum inferiùs positum inspexeris. 4. actum contritionis (quem ibidem reperies) in corde tuo excitabis.

Punctum V. Effectus obtinendos perfectæ Confessionis ad consolationem animæ tuæ enumerat tibi *Riccard. Victor. Tract: 1. de exterminat mali c. 3.* Omnia in Confessione lavantur, conscientia mundatur, amaritudo tollitur, tranquillitas redit, spes reviviscit, animus hilarescit.

MEDITATIO III.

De satisfactione pro peccatis.

Punctum I. SAtisfactio est operatio laboriosa & afflictiva à Confessario taxata, & à pœnitente acceptata in compensationem pœnæ temporalis debitæ ob injuriam DEO illatam.

Punctum II. Sacramento pœnitentiæ debitè suscepto, & omnium peccatorum suorum plenaria remissione obtentâ, oportet pænitentiam in confessione injunctam cum maximo fervore persolvere, neq; ex negligentia ad notabile tempus sine gravi peccato differri potest.

Punctum III. Tribûs operibûs fit satisfactio. 1. Oratione, ad quam reducuntur visitationes Ecclesiarum auditiones pluriũ Sacrorum, & similia devotionum genera. 2. Jejuniô ad quod reducuntur quælibet carnis mortificationes, ut usus ciliciorum & disciplinæ. 3. Eleemosynîs, ad quas reducuntur omnia opera misericordiæ in proximos.

Punctum IV. Ultra hanc pœnitentiam in confessione injunctam, aliàs voluntarias pænas assumere ut S. AUGUSTINUS monet: *Non satis est peccatis renuntiare, malas extirpare habitudines, si DEO non satisfiat pro commissis culpis, per lacbrymas per gemitus, per Sacrificium cordis contriti & humiliati.* Item crebro confiteri & ad sacram Synaxim accedere; mala hujus vitæ, ut sunt morbi, afflictiones, humiliationes, miseriæ, labores &c. libenter ex amore DEI in spiritu pœnitentiæ tolerare & DEO offerre pro peccatis; injurias acceptas inimico condonare, indulgentias non negligere, Viam Crucis seu Stationes frequentare, Verbum DEI libenter audire, &c.

Punctum V. Effectus satisfactionis sunt sequentes. 1. Remissio alicujus pœnæ temporalis. 2. Augmentum gratiæ gratum

facien-

facientes. 3. Auxilium præservans à futuris. N.B. Attendendo pænas Purgatorii gravissimas fructuosiùs est hic, DEO satisfacere, quàm post mortem. *Inquantum autem*, inquit Tertulianus. *non peperceris tibi, in tantum tibi DEUS, crede, parcet.*

MEDITATIO IV.
De Morte.

Punctum I. MEmorare quòd statutum est omnibus hominibus, proindeq; omnibus Sacerdotibus semel mori. Inquit Apostolus ad Hebr: 9. *In hoc enim naturæ debito, erit sicut populus sic Sacerdos. Isai*: 24. Mors inquit Philosophus, omnium rerum est horribilis, sed Sacerdotum horribilior. Moriendum igitur Sacerdoti est, qualiscunq; sit. Mortis in eum sententia prolata est, sed quo tempore? qua hora? serò an media nocte? an galli cantu? an mane? *Marci* 13. non constat.

Punctum II. Imaginare te ipsum decumbentem in lecto, morti vicinum, à Medicis desperatum, depositö ad caput cereo, ad pectus Imagine Crucifixi, extremam jamjam animam ducere.

Punctum III. Considera quàm anxius talis sit futurus, cùm sentiet se incertum de

de salute. 1. ob multitudinem peccatorum. 2. quòd tunc multorum recordabitur ante oblitorum. 3. quòd quæ aliàs levia visa sunt tunc gravissima apparebunt. 4. quòd tunc maximè dubitabit sitne in odio vel amore DEI. 5. quòd anceps hærebit, an veram habeat de peccatis contritionem, ac tandem ita attonitus sit, ut nesciat quo se vertat. Nisi per extrema contra has animi anxietates procedat dicendo: *Desperarem si misericordias Domini nescirem*. S. AMBROSIUS.

Punctum IV. Considera, licèt mors sit amara & horrida peccatoribus; eam tamen ab hominibus piis, qui eam habent pro ærumnarum hujus vitæ termino, & æternæ felicitatis principio cum desiderio expectari, cum S. Propheta Psal: 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, DEUS*. & cum Apost: Philipp. 1. *Cupio dissolvi & esse cum Christo*.

Punctum V. Concludes colloquiô cum DEO, quo petes: hæc tuo animo ita figi, ut deinceps sic vitam instituas tuã, quemadmodum velles instituisse, quando ad agonem mortis perveneris, *qui enim bene vivit, non potest non bene mori*. S. AUGUSTINUS.

Dies

Dies Tertius.

MEDITATIO I.

De Judicio Particulari.

Punctum I. OMnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis prout gessit; sive bonum; sive malum, inquit S. PAULUS 2. *Cor:* 5. Omnes oportet manifestari, nullus excipitur, proindeq; eodem momento, quo ultimum spiritum emiserit Sacerdos oportet illum manifestari ante Tribunal Christi. Judicium particulare non minùs metuendum est, quàm Universale in fine mundi futurum, quia *qualem inveniet DEUS hominem*, inquit B. AUGUSTINUS, *in suo novissimo die, talem judicaturus est in mundi novissimo die.*

Punctum II. Considera quatuor esse personas in judicio illo futuras. 1. est anima judicanda, quæ in conscientia descriptam geret totam anteactam vitæ historiam. 2. est Christus Judex simul & testis, atroci vultu animæ impiæ minas & pænas spirans. 3. Sancti DEI summa indignatione eandem detestantes. 4. dæmones peccata exaggerantes, & bona opera extenuantes.

Punctum

Punctum III. Aliud lumen & nova rerũ cognitio quam nunc sunt in mundo, tunc illico orietur in anima. Velut solaris radius multa atomorum & pulvisculorum millia manifestat, quæ ante fugiebant oculum, ita Christus radiîs suîs tempore Judicii multa errata deteget, quæ modò nobis incognita sunt, & abscondita coram oculis nostris. Tunc videbis unicum otiosum verbum pejus esse omnibûs hujus mundi malîs. Tunc videbis beatiùs esse vivere cum Lazaro in paupertate & miseriis, quàm cum Epulone in purpura & conviviis; deprimere se cum Publicano, quàm extollere se cum Pharisæo; pati persecutionem & mortem cum Innocentibus parvulis, quàm cum Herode illam inferre. Tunc nihil erit in pretio, nisi virtus, & bona opera.

Punctum IV. Considera examen ipsum, quod instituetur factorum, dictorum & cogitationum, in quo erit Judicis exactissima de singulis inquisitio. Verbô: nihil tam minutum erit & exile in verbo, cogitatione & opere, quod non omne hic Judex rimaturus sit. O rigida! ô severa ratio! quæ exigitur & redditur! Quàm benè precatur David: *Non intres in Judiciũ*

cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Psal: 142. ℣. 2. Potes hujus judicii tam tremendum rigorem lenire, imò evadere si sequaris Pauli consilium: *Nam si nos metipsos judicaremus, non utiq; judicaremur. 1. Cor. 11. ℣. 31.* Judica igitur tu ipse opera tua bona & mala: de peccatis præteritis pænitentiam age, & ea in posterum devita: multum operare pro DEI gloria, omnia adhibe media, quibus possis jam nunc, animum tui Judicis & favorem lucrari, & cùm hæc feceris, cogita te servum esse inutilem.

Punctum V. Horrenda est sententia ferenda in impium & peccatorem: *Discede à me maledicte in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Vocavi te & renuisti; mandata mea protervè gulâ, luxuriâ tuâ, & aliîs vitiîs procurâsti. *Esurivi & non dedisti mihi manducare &c. Quodcunq; non fecisti uni ex minimis meis, nec mihi fecisti. Discede ergo à me maledicte:* æternum proscriptus eris à facie mea, à meorum consortio, à parentibus tuis, qui mecum in Cælo habitant, ab Angelis meis & Benedicta Matre mea. *Discede in ignem æternum*, in quo cùm arseris tot annis, quot sunt in arboribus folia, in

mari guttæ, in littore arenæ, in àére atomi, adhuc tui ardoris non finis, ſed initium erit. O miſerum & luctuoſum diſcedere! ô horrendum & terribile ardere! ad hæc verba Judicis deſeret animam Tutelaris Angelus & dicet: *Curavimus Babylonem & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Jer: 51. ℣. 9. Eodem ipſo puncto terra hiabit, & diabolus animam in inferni barathrum ſecum crudeliſſimè rapiet. O quæ triſtitia! confuſio, deſperatio animam tunc obruet! cùm primos igneos illos inferni carceres ingredietur. Hinc diſce, quid ſit peccare, & quàm malum & amarum eſt, reliquiſſe te, Dominum DEUM tuum. Jer: 2. ℣. 19.

MEDITATIO II.

De Inferno.

Punctum I. INtuere mentis oculô locum damnatorum locum eſſe tenebroſum, vaſtum & profundum, ſub terra poſitum inſtar latiſſimi putei, ſulphure, flammâ, fumo, viperîs, bufonibûs & ſerpentibûs pleni, in quo nihil audiatur præter gemitus, ſuſpiria, maledictiones tortorum, & eorum qui torquentur, cum perpetuo planctu & ſtridore dentium.

Punctum II. Tria genera pænarum inve-

niri in inferno, pœnam sensûs, pœnam damni, & vermem conscientiæ. Quoad sensûs pœnam attinet, scias nullum membrum, nullum sensum esse, qui non singulari ibi dolore excrucietur, secundùm multitudinē & gravitatem criminum per illos commissorum; Unde Apoc. 18. *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum.*

Punctum III. Si omnis molestia quantumvis brevis, *v.g.* exustio digiti in flamma candelæ modica, tibi intollerabilis nunc videtur, quid facies in igne infernali acerrimo, ubi totum corpus non secùs ac carbo aut ferrum ignitū apparebit. Audi Isaiam. *Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante* Isaiæ 33. ℣. 14.

Punctum IV. Considera horrendas blasphemias, in quas ob nunquam finiendas pœnas, infelices animæ erumpent, & contra DEUM tanquam inimicum, & contra Christum tanquam iniqvum Judicem, & contra Sanctos tanquam alteri parti nimiū addictos. Deinde execrationes & maledicta, quæ evoment filii in parentes, & parentes in filios, discipuli in præceptores quòd suâ indulgentiâ has flammas parârint: socii deniq; in socios, quòd pravis colloquiîs

exem-

exemplîsq; se mutuò seduxerint. Parochiani in Parochum negligentem salutem illorum, & pravîs exemplîs scandalizantem, verbis & pugnîs insurgent, ut ex sequenti patet historia. Cæsarius scribit *lib: 12. Miracul. c. 6.* Parochum quendam fuisse in animarum cura pigerrimum, hic cùm expirâsset, religiosi cujusdam oculis horrendum se spectaculum obtulit, vidit enim Parochiæ illius defunctos, se'se tumulîs egerere, saxa arripere, & illîs Parochum petere exclamando: *Ab impie! Miseri nos tibi commissi fuimus, tu nos neglexisti. In percipiendis decimis nemo te diligentior fuit, in curandis animabus nemo obliviosior, nemo inertior. Emolumenta cupidè quærebas, quid de nobis ageretur non curabas. Cùm peccaremus nos minimè corripuisti, neq; verbô neq; exemplò nos revocâsti. Ab! lupe potiùs quàm vere pastor, tu occasio nostræ damnationis fuisti. Par est, ut tu quoq; in istis flammis nobiscum torquearis.* Hæc cùm dixissent, & lapidibûs illum obruissent, miseram hominis animam in profundum puteum deturbârunt, nec ipse unquam ampliùs comparere visus est.

Punctum V. Pete gratiam à Deo, ut cordi tuo gravitatem pœnarum, quas damnati susti-

sustinent, imprimat, ut hinc juveris ad vitanda peccata propter quæ venires in hunc locum tormentorum.

MEDITATIO III.
De Contritione.

COmpunctoria consideratio de excellenti, sed nisi cautè tractetur, nimis tremendo statu Sacerdotali, compendiata ex hebdomada Sancta Pragæ edita Annô Dñi 1703. Ex singulis distinctis ejus periodis, venies in cogitationem peccatorum tuorum, & in magnam compunctionem cordis, cum firmo proposito de cætero non peccandi.

Ad hanc, qua super omnes Reges terræ imò supra Angelos excellis, Sacerdotii dignitatem elegit te ô Sacerdos non alius nisi DEUS, & quidem tot aliis te longè melioribus relictîs, ex sola pietate sua. DEUS hic tuus modò Pater est, si te in Mensa illius, ut decet Filium amantem geras, sed & supra alios severior tuus Judex erit, si tam gravem obligationem tuam negligenter tractaveris: amasnè Patrem, timesnè Judicem.

Finis electionis tuæ est iste, ut non terrenæ tuæ utilitati, sed Divino honori, ac

(nòn

(non neglectâ suâ,) animarum nimis carô Sanguinis ipsius prætiô redemptarum saluti inservias, vide ergo, ne plùs pro temporali fructu, pro decima, pro censu, quàm pro æterna tua, tibiq; commissorum salvatione sudes, labores, & litiges.

Non ad montem Dei, sed ad formidandam cælestis convivii mensā ferè quotidie vocaris, attende itaq; ut nudîs pedibûs, mundanîs scilicet exutus affectibûs ad celebrandum accedas, pollutis labiîs nunquam Corpus Christi consecres, cave ne impuris manibûs Sacramentum mundissimum tangas, in cor tuum à peccatis non emundatum suscipias, nisi fortè potenter cum potentibus cruciari, aut cum Udone impuro hic & in æternum lugere velis.

Gravia sunt sæcularium scelera, sed Sacerdotum maxima, quia à domesticis, in Domo Dei, in Mensa tam Sancta, in tanta ad pietates exercendas obligatione perpetrata. Multum deliquit innocentem Christum apud columnam flagellans carnifex, sed plùs infinitè peccavit Judas dolosè osculans, quia Sacerdos, quia domesticus.

Suscepisti Sacerdotiū, sanctè itaq; Sancta

tangas

tangas, sine tædio, sine murmure omnibus dignis Sacramenta ministres, divites non scandalises, pauperes magnatibûs indiscretè non postponas, sed omnes tuæ curæ subditos solatiis pasce, Sacramentîs sacrosanctis verè indigentes nutri, salutari doctrinæ Divinæ verbô sagina, & vel maximè vitæ tuæ irreprehensibilis exemplô cum humili gravitate cunctos ad virtutem trahe.

Potestas tua, tanta est, ô Sacerdos! ut pro tua voluntate, dum verba consecrationis profers, ad Altare Sanctum descendat Filius Dei panisq; in Corpus ejus verum transubstantietur; Etiam cælestis januæ dispensator factus es. cave tamen, ne dum aliis superna aperis ipsemet reproba conversatione, portas felicitatis tibi claudas, cùmq; aliis peccata dimittis, time ne tu ipse ea contrahas. Infaustum quippe est, aliis virtuosa svadere, & seipsum absurdô neglectu perdere.

Quanta aviditas quam zelosa pietas, Sæcularium ad cibum hunc altaris Sanctissimum accedentium? quid non oporteat facere Sacerdotem, tam tremendô negotiô sese occupantem: Aucta nobis sunt dona, sed non diminutæ rationes donorum. Tenent digiti tui, cui cælum sedes

Redem-

Redemptorem, ſunt nè puri? Rubet toties Sacratiſſimo Chriſti Sanguine tua lingua, eſtnè immunis, à vaniloquio, à detractione, ab otioſitate? Intrat cor tuum tam ſæpè ſuavis Jesus, eſtnè ſemper mundum, eſtnè ipſi fidele, eſtnè pro tanta benevolentia gratum?

Agnus eſt quem manibûs geſtamus inter lilia, liliis, ideſt caſtiſſimis virtutibûs enutritus, ô utinam! de hac puritate mentis & corporis huic Agno digna pabula miniſtremus & non tatùm in alba linea, non tantùm in pretioſo apparatu, ſed magis in candidæ ſinceritatis compoſitione eidem Agno ſerviamus. *Nugæ* (declamatore Bernardo) *inter ſæculares nugæ ſunt, in ore autem Sacerdotis, blaſphemia.* ſi de nugis hoc ſentit S. Doctor, quid de criminoſis loquelis, maledictionibus?

Ecce mundus Sacerdotibûs plenus eſt: ait S. Gregorius: O! utinam ferventibus, nè DEUS offendatur: O! utinam zelantibus, nè proximus ſcandalizetur. O! utinam vigilantiis, nè oves periclitentur. O! utinam dignitatis ſuæ, periculiq; memoriam habentibus, nè plùs lucra ſæculi, quàm animarum tantô pretiô redemptarum quærantur.

Sed

Sed ô! Bone DEUS: noster status, gratiæ tuæ bonitas est, jugum nostrum quod portamus suavitas tua est, vocatio nostra, miseratio tua est, ergo ulteriùs miserere, nos in laboribus adjuva, nos in periculis tuere, nos virtutibûs tibi placitis adauge, ut felici sorte, cum abundanti bonorum operum proventu, animarumq; lucro ad te Sacerdotem maximum, quando tibi placuerit revertamur.

MEDITATIO IV.

De præparatione ad Communionem.

Punctum I. FRequentem communionem ut multum proficuam laudat & commendat S. Basilius magnus ad Cæsariam Patritiam ita scribens. Communicare per singulos dies, & participare de Sacro Corpore & Sanguine Christi, pulcherrimum & valde utile ipso manifestè dicente: *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam.*

Punctum II. Inter præparationes ad communionem principem locum tenet, recta intentio. Vitiosa enim esset intentio, si quis communicaret, ut mundo haberetur pius, Sanctus. Recta autem & virtuosa intentio est communicare, ut haberes memoriale

moriale Passionis Dominicæ, & ideo Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem?* Uti sicut cibo corporali corpus, ita hoc spirituali cibo anima pasceretur. Unde Christus Joan: 6. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum 3.* Recta intentio est, si communicares ad obtinendam remissionem peccatorum, vel ut libereris à gravi aliqua afflictione, tentatione. Ut impetres singularem aliquam gratiam.

Punctum III. Pete gratiam dignè & cum fructu communicandi. Nam inquit S. Paschasius: *Certus sit homo, quia ultores Angeli nec semel indignè communicantibus parcerent, nisi bonitas Christi, in cujus judicio pendent omnia, gladium suspenderet, & removeret momentaneam mortem.*

Punctum IV. Considera à Scriptura S. nos moneri de hac præparatione ad Communionem: 1. Cor: 11. *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat.* In hæc verba S. Gregorius sic loquitur: Quid enim est hoc loco se probare, nisi evacuata peccatorum nequitiâ, se probatum ad Dominicam Mensam & purum adhibere? Et S. Ambrosius in hæc verba Evangelii: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*, ait: Serpens cùm

venerit

venerit ad bibendam aquam, priusquàm bibit, extra fontem evomit venenum suum, & postea bibit, ita & nos quando communicaturi accedimus ad Altare Domini, deponamus venenum pessimum, hoc est iracundiam, odium, invidiam, & sic ad Altare Domini, Corpore & Sanguine Ejus satiemur.

Punctum V. Post hanc conscientiæ dispositionem dicito cum humilitate. Paratum cor meum, paratum cor meum Deus, veni & relaxa facinora animæ meæ. Piè suscepta Communione, dices: Salve Jesu parvule, dulcis hospes animæ. Salve Hostia placabilis & placens DEO. Sancti Nominis tui Domine timorem & amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Post talem probationem & devotionem certificat te Drohio Hostiensis sequentes consecuturum effectus, scilicet: Ex hujus sumptione dirimuntur lites, vitia displicent, diligitur pudicitia, terrena vilescunt, efficiturq; homo alius, non per naturam, sed per gratiam mutatus in meliùs.

Dies 4tus.

MEDITATIO I.

De Imitatione Christi.

Punctum I. Hæc est voluntas Salvatoris nostri, ut ipsum imitemur inquit enim Math: *13. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Ingrati animi indicium nolle eum sequi ac imitari. Ut benè S. Augustinus loquitur, *Christiani nomen frustra sortitur, qui Christum non imitatur.*

Punctum II. Magnum est prædestinationis argumentum: imitatio vitæ ejus. Nam ex D. Paulo: *Quos DEUS prædestinavit, hos & vocavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Sancti omnes eum imitati sunt, ut patet ex ipsorum vita. D. Paulus seipsum Christi imitatorem prædicat. S. Ignatii Martyris inter acerbos cruciatus hæc vox una erat, *Jam incipio Christi esse Discipulus.*

Punctum III. Summo honori ducendum Christum imitari, & ipsum sequendo ei in omnibus assimiliari, atq; adeò cum ipso tota æternitate regnare, cujus non vanam spem fecit Math: *16. Si quis vult venire post me, sequatur me.*

Punctum IV. Considera in quo potissimùm

mùm debeas Christum imitari: puta similia præstando iis, quæ egit ipse ut homo, cùm per triginta tres annos nobiscum egit in terris. Clericorum est ac Sacerdotum specialiter imitari ipsum in muneribus obeundis, puta concionando, Sacra faciendo. Item in humilitate cordis: *Discite* (inquit) *à me quia mitis sum, humilis corde.* In charitate quæ tanta fuit, ut non solùm benefecerit omnibus sanando ægros, mortuos suscitando, imò etiam pro nobis vitam suam profuderit. Similem virtutem à nobis requirit Joan: 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. In hoc enim cognoscent omnes quia mei Discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem* Joan: 13. Proposuit & in aliis virtutibus imitationem sui, quia svasit: *Estote perfecti.*

Punctum V. Expostula gratiam Christum benè imitandi, & quod ipso inspirante, aut movente faciendum cognoveris, statim opere studeas adimplere.

MEDITATIO II.

De sincera erga B. Virginem Devotione.

Punctum I. Considera cur in obsequium Deiparæ te totum debeas manci-

mancipare, & erga illam piè affectum & devotissimum esse. *1.* Exultat DEUS, cùm honor Sacratissimæ Virgini MARIÆ impenditur, gloriam enim Matris gloriam esse Filii, & vice versa Spiritus Sanctus ipse testatur.

Punctum II. Hanc nobis devotionem præcepit Christus Dominus in Cruce pendens, dum Matrem S. Joanni Evangelistæ universi generis humani vices gerenti commendavit. Sancti omnes B.V.M. magnopere venerati sunt, & ut apud omnes in magna veneratione esset, procurârunt.

Punctum III. Sanctissima Virgo thesauri cæterorum custos est generalissima, & nullum omninò nobis à DEO beneficium, nisi ipsa mediante confertur. Devotio erga V. MARIAM nota est prædestinationis certissima. *Quicunque vult salvus esse, ut erga B. Virginem sit devotus, necessarium est*, inquit S. Bonaventura.

Punctum IV. Considera quid sit Devotio erga Gloriosissimam Virginem? nempe prompta & constans in ejus obsequium voluntas. Hujus autem Devotionis notæ principales sunt hæ. *1.* Si magna cum reverentia Beatam Virginem & Imagines illam repræsentantes, cultu hyperduliæ

adores

adores. 2. Si totam ſpem poſt DEUM tuum in ea colloces, & frequenter auxilium ejus implores, in omni vel negotio vel periculo, ut conſulit S. Bernardus *In periculo, in anguſtiis, in rebus dubiis MARIAM invoca.*

Punctum V. Perpende media ad Devotionem erga Glorioſiſſimam Virginem comparandam, conſervandam & ampliandã idonea. 1. Eſt, Imaginem illam repræſentantem in tuo cubiculo ſemper habere. 2. Roſarii Confraternitati vel alteri Beatiſſimæ Virgini dedicatæ Nomen dare, & obligationes annexas fideliſſimè exequi. 3. quotidie Litanias, vel alias ipſius laudes & orationes in ipſius honorem compoſitas recitare. 4. Singulîs diebûs Sabbathi, ut pote ſpecialiter Glorioſiſſimæ Virgini conſecratîs, jejunare, vel ſaltim corpus aliquo mortificationis genere macerare. 5. Omnes omninò, & præcipuè domeſticos & ſubditos, ad Devotionem erga B. Virginem MARIAM invitare, & impellere. 6. Coronam ex Orationibus Angelicis ſexaginta tribus compoſitam ſemper ſecum habere, eamq; in memoriam ſexaginta triũ annorum, quibûs juxta probabiliorem opinionem B. Virgo in terris vixit, quotidie

recitare.

recitare. 7. Sanctos ex ipsius Familia, ut Joachim, Annam, Josephum magnoperè venerari. 8. Ante Aras B.M.V. frequenter orare, illasq; de bonis propriis ornare. Deniq; Virginis Sanctitatem, quoad meliùs poteris, imitari. *O Fratres!* (inquit S. Bonaventura) *si perfectè Matrem Domini nostri JESU Christi colere desideretis, ipsius mansvetudinem, humilitatem, corporis & animi puritatem imitemini: neq; enim unquam sine B. Virginis imitatione ad sinceram illius Devotionem poteritis pervenire.*

MEDITATIO III.

De Gloria Cælesti.

Præludium. PEte à DEO gratiam, ut intimè gloriam Patriæ Cælestis intelligas: quò magis exciteris ad serviendum ipsi in vitæ puritate.

Punctum I. Cælum est Sedes Dñi DEI nostri. Quæ autem (*inquit Augustinus*) lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ Civitatis quanta sint gaudia, Angelorum Horis interesse, cum Beatissimis Spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem DEI Vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari.

 Pun-

Punctum II. Arcta est via Sanctitatis, angusta porta Cæli, & pauci admodùm per eam ingrediuntur; vive ut pauci, si vis cum paucis salvari. *Joannes Moschus in Prato Spirituali* testatur de quodam Eremita, quòd cùm in extasi appropinquaret Portæ cælesti, audiverit hanc vocem Angelicam: *Nemo piger huc ingredietur. Ite certate.*

Punctum III. Lucæ 10. Quidam Legisperitus solicitè interrogavit JESUM. *Magister quid faciendo, vitam æternam possidebo.* Existimo in hac Sacra solitudine degentes pari teneri sciendi desideriô, quo tentus Legisperitus fuit: qua nimirum ratione comparari Regnum Cælorum queat? Et quidem Christus Dominus conditionem unam præscribit Legisperito, sed generalem, nimirùm charitatem DEI & proximi: possumus verò alias assignare particulares, & quidem plures, quæ tamen in charitate omnes fundantur. Earum aliquas depromit D. Bernardus in sententiis, dum ait: Aliquos Cælum violenter rapere, velut qui relictîs omnibûs, Christum sequuntur. Alios mercari, qui faciunt sibi amicos de mammona iniquitatis: Alios furari, qui nonnulla bona occultè faciunt;

ciunt; quia laudem humanam vitantes, ſolo Divino teſtimonio contenti ſunt. Alios compelli ad illud, uti pauperes neceſſarios, quos hic ignis paupertatis DEO diſpenſante purgat, ne in futuro ignis judicii puniat.

Punctum IV. Sanctorum gloria (ſed præcipuè Sacerdotum) excedit omne bonum præſentis vitæ, *inquit Doctor Angelicus 1. p. q. 46. art. 6. ad 3.* Apoc: 4. S. Joannes vidit DEUM in Throno Majeſtatis pleno. In circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, qui obſecro has occupabant ſedes? forſan Seraphim. Minimè quidem, quin potiùs juxta Iſaiæ Prophetiam *Seraphim ſtabant*. Sedebant itaq; Sacerdotes, id per hæc verba exprimitur. *Et ſuper Thronos, viginti quatuor Seniores ſedentes.* Quos Sacerdotes fuiſſe ex illa particula *Senior*, quæ Presbyterum ſignificat, clarè evincitur. Unde & S. Iſidorus ait: *Presbyter dicitur Senior quòd non ad ætatem, ſed ſenſum referendũ eſt*: Ecce itaq; Sacerdotum in Cælis dignitatem, honorem & gloriam majorem & ampliorem, dum ſinguli horum ſedent, Angelîs ſtantibûs. Verùm ad magna præmia (*inquit D. Gregorius Hom: 37. in Evan:*) perveniri non poteſt, niſi per magnos labores.

Ergo ipsa promissæ gloriæ magnitudo animi magnitudinem excitet, & ad difficilia quæq; pro DEI gloria subeunda, Christi Sacerdotem & Ministrum obfirmet. Quoties igitur in ipsis Ministeriis Ecclesiasticis aliquid occurret naturæ durum & asperum, quoties urgebit tentatio aliqua, & contra Spiritualia nequitiæ subeunda erit colluctatio, Cælum suspice, & illic Christum regnantem palmas ac coronas manu protendentem intuere; tibiq; sæpiùs in mentem revoca, quis sit laborum tuorum terminus? quis suscepti Ministerii finis? Ecce vocabit vos Præceptor vester Christus: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis & ego reficiam vos* Math: 11. Ecce promissio vestra in promptu certa est, quam innuit Daniel Propheta: *Qui erudiunt multos ad justitiam, fulgebunt, sicut stellæ in perpetuas æternitates.*

Punctum V. Colloquiô cum DEO Meditationem conclude, quo petes veniam ob tempus hactenùs negligenter actum, & decernas te deinceps velle sedulò percurrere viam mandatorum DEI.

MEDI-

MEDITATIO IV.

De serio examine circa propriam vocationem.

Punctum I. Qui de propria vocatione, tanquam à DEO facta, moraliter certus est, mira semper animi gaudet tranquilitate, perpetua fruitur pace, & lætus exercitia suæ professionis aggreditur, iisq; non perfunctoriè & remissè incumbit, sed ferventissimè, & eò diligentiùs, quò certior est se Divinam in hoc perfectissimè exequi voluntatem.

Punctum II. Qui se à DEO non vocatum verisimiliter judicat, tepidus est in omni opere suo, & negligentissimus, & nonnisi coactè, & ex necessitate, sinè ulla intentionis rectitudine, munere suo fungitur, eò, quòd utrùm DEO placeat vel displiceat, penitùs ignorare videatur.

Punctum III. Attende modò, utrûm notas, quibûs dignosci potest, an à DEO vocatus sis, nec ne, in te habeas? 1. Si statum aliquem non ex levitate, aut præcipitatione, sed post præmaturam deliberationem & assiduam orationem elegisti. 2. Si non motu proprio, sed proborum virorum & Prudentum Confessariorum consiliô

liô statum aliquem es aggressus. 3. Si faciliter & delectabiliter vocationi tuæ annexa exercitia peragis.

Punctum IV. Considera & vide num hîs notis insignitus sis? & 1. Si eas in te deprehenderis, DEO à quo accepisti gratias, exhibe, & in eo statu, ad quem per Divinam ejus misericordiam vocatus es, velle te rectè vivere, & rectè mori firmiter propone, & mediîs ad hunc finem consequendum efficacissimîs utere, quorum imum est, hanc à DEO sæpè gratiam postulare: Nam teste Apostolo, *Ipse dat velle & perficere.* 2. Cogitationes omnes vocationi tuæ insidiantes tanquam sagittas à dæmone immissas sine mora ex corde tuo penitùs eliminare.

Punctum V. Quodsi careas prædictîs notîs, & te ad statum, in quo jam vivis à DEO non esse vocatum moraliter certus sis; ex illo, quàm citissimè poteris, exire debes, si tibi liceat: aut si non licet puta, si Sacerdos vel Religiosus sis, quæ sequuntur præstare. 1. Pænitere & graviter dolere, & à DEO, eò quòd motu proprio sine Divina vocatione in hunc statum intrusus sis, veniam cum lachrymis & humiliter postulare. 2. In eodem statu tam

sanctè

sanctè vivere, quàm qui sanctissimè. 3. Divinam bonitatem, ut te tandem ad statum hujusmodi vocare dignetur, rogitare. 4. Attentè & gaudenter perpendere verba D. Petri dicentis: *Fratres sagtaite, ut per bona opera, certam vestram vocationem faciatis:* quibûs nos ad eum statum, ad quem antea non fueramus à DEO vocati, vocationem mereri posse apertissimè indicat.

Dies 5tus.

MEDITATIO I.

De Sobrietate.

Punctum I. Sobrietas omnium virtutum mater est; sic è contrariò ebrietas omnium vitiorum origo. *Orig: Homil:* 87. Positus es ergo inter ignem & aquam, ad quod vis extende manum. Sed attende effectus, & vide cui salubriter affectus esse debes.

Punctum II. Quantùm Presbyteris necessaria sit sobrietas ex ebrietatis turpitudine ostendit *S. Chrisostomus Homil: 27. in Act: Apost.* Quid ebriô turpius! Ridiculus est famulis, ridiculus inimicis, miserabilis apud amicos, omnium detestatione dignus, bestia est magis quàm homo.

Punctum III. Ebriosus non tantùm seipsum

psum, sed & alios (cogendo ad bibendum, ad æquales haustus, varios modos bibendi excogitando) bestias facit, quòd quàm sit damnabile, adverte quid *S. Augustinus dicat: Serm: 232. de temp.* Quicunq; ad bibendum pronus fuerit, vel in convivio suo, alios adjuvare, vel cogere voluerit, & pro se & pro aliis in die judicii reus erit. Tales non opportunos sed importunos amicos quinimo inimicos personæ, famæ, fortunæ, & animæ tuæ, seriò devita. Vidit Joannes à Spiritu S. adhuc puerulus edoctus, difficilimum esse, in pravorum hominum conversatione immunitatem servare à culpa, ideò refugit societatem populi, talem enim rationem Ecclesia in ejus Festo canit: *Civium turmas fugiens petisti, ne levi saltim maculare vitam, famine posses.*

Punctum IV. Considera alia motiva, quæ te ab ebrietate absterrere debent. *1.* Ebrietas valde nocet sanitati corporis, morbos enim varios conciliat, & mortem tempestivam. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adjiciet sibi vitam.* Eccl: *31.* Ex ebrietate frequenti oriuntur tusses, catharri, vertigines capitis, apoplexia, podagra, morbus caducus, lepra/&c. Nocet animæ, præterquàm quòd ebrietas

est

est peccatum mortale, excludens hominem à regno Dei, *Ebriosi* enim: *Regnum DEI non possidebunt.* Multorum vitiorum est origo. Ex ebrietate pullulant rixæ, pugnæ, blasphemiæ, maledictiones, pejerationes, vulnera & homicidia. Ebrietati deniq; connexa est libido & luxuria. *Ebriosum nunquam castum putabo* ait S. Hieron:

Punctum V. Considera media ad vitandam ebrietatem conducentia. 1. Vitare societatem ebriosorum, atq; convivia & commessationes. 2. Regulare sibi mensuram potûs sive in conversatione, sive privatim commorando, & illam nunquam excedere, & si contigeret in hoc deliquisse, ad tempus pro pænitentia abstinere. 3. Quotidie rogare à Domino Deo virtutem sobrietatis, & maximè tunc, dum pruritus ad bibendum instigat, & seipsum custodire, ne proclivitas & consvetudo sæpè se inebriandi, crescat. 4. Meminisse seriò oportet, quod ebrietas impedit Sacras functiones status Sacerdotalis ritè peragendas. Sine gravi gregis offensione præesse, & officio suo satisfacere non poterit. Si dicendum enim erit ad populum verbum Dei, memoria vacillabit, lingva balbutiet, manus trement, pedes non obsequentur.

Qua ratione homo ratione carens, Horas Canonicas recitabit! quomodo ſtabit ad Altare? quo ore DEUM vocabit? quibûs manibûs tractabit? qua temeritate in ſtomachum eructantem per impuras fauces transmittet? aut (ſi à Sacrificio abſtineat) in Templo vel non cantabit vel ſubmugiet. Deniq; quanto non ſolùm cum ſcandalo, verùm etiam cum periculo, baptiſmum, abſolutionem, Euchariſtiam, Extremam unctionem balbutiens, titubans, vix ſibi præſens, adminiſtrabit? Tamen ad ſua munia ritè obeunda, ad Sacramenta ſanctè miniſtrando, die nocteq; ac propè modum omni temporis momentô Parochi prompti, & expediti eſſe debent: nam plerumquè, ut fit in humanis, ſubiti, & inopini caſus accidunt, quibus neceſſitas, aut commoditas populi ſuo jure ſalutis auxilia depoſcentis opem implorent, & quàm Paſtores exhibere teneantur. En tibi, quàm neceſſe ſit te non modo nunquam ebrium, ſed ſemper ſobrium eſſe. *Attendite igitur ne forte graventur corda veſtra crapula vel ebrietate.* Lucæ 21.

MEDITATIO II.
De Caſtitate Eccleſiaſticarum.

Punctum

Punctum I. DEUS vult amari; nemo DEUM perfectiùs amaverit, quàm qui coluerit castitatem, etenim: *qui sine uxore est* (ait S. Paulus) *sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO; sollicitus est ut sit Sanctus corpore & spiritu.*

Punctum II. Considera, si veteris testamenti Sacerdotes toto tempore, quo ministrabant tabrenaculo à domo & uxore abesse tenebantur. Si Abimelech Sacerdos *1. Reg:* 21. noluit David famelico dare panes propositionis comedendos, nisi priùs intellexisset eum ab uxore aliquamdiu se continuisse. Quanto magìs convenit Sacerdotes novi Testamenti ab omni fœminarum contubernio alienos esse, puritatem scilicet animi & corporis præseferre, quibus quotidie in Sacrficio Missæ Corpus Domini per panes propositionis præfiguratum, solùm sumendum, sed etiam conficiendum, manibûs tractandum, & aliis distribuendum, ex officio incumbit.

Punctum III. Considera Sacerdotem, si castitatem inviolatam non servet multò graviùs peccare quàm si peccent in eodem genere homines sæculares. 1. quia Sacrilegium committit. *Si quis Templum DEI violaverit* (inquit Apostolus 1. *Cor:* 3.) *disperdet*

sperdet illum DEUS: quis Templum DEI S. & DEO consecratum propriè est nisi Sacerdos, toties per varios Ordines inunctus, & vices DEI & Angelorum subiens. 2. quia violat votum castitatis. 3. quia summo scandalo est bonis est malis. 4. quia si in statu peccati celebret, aliaq; Sacramenta admistret, peccat graviter. Nullum est peccatum in quo omnia accedant ad mortale ac luxuria: furtum denarii, motus levis & imperfectus iracundiæ, peccatum veniale est. At libidinosus aspectus, cogitatio impura cum aliqua complacentia est peccatū mortale: Proinde tanquam à facie colubri fugiendum luxuriæ vitium.

Punctum IV. Accipe media ad Angelicam castitatis virtutem acquirendam & consequendam efficacissima 1. humiliter & instanter illam à DEO petere. Sapiens enim ait, *Neminem castum esse, nisi DEUS det* 2. in omni adversus castitatem tentatione ad Sacratissimam Domini Passionem recurre. *Fateor* (ait S. Augustinus) *me nullum efficax remedium contra ardorem libidinis, quàm Christi vulnera invenisse*. 3. Jejuniis, vigiliis, ciliciis & disciplinis carnem macerare: virtutis enim castitatis nutrix austeritas est. 4. Summo honore hu-

militа-

militatem celere: castitas enim sine humilitate paleâ debilior, & vitrô fragilior est. 5. occasiones castitati insidiantes, & præcipuè otium, cibi & potus saturitatem, & fœminarum societatem, magna cum diligentia fugere. 6. Angelum Custodem & puritatis amatorem, & purissimam Virginem sæpissimè invocare, & multum venerari & diligere. 7. Diligenter oculos custodire, & cum illis pactum inire, sicut S. Job, *Pepigi fœdus cum oculis meis ut ne quidem cogitarem de virgine*. 8. Exempla Sanctorum, qui in castitate excelluerunt, ob oculos ponere. 9. deniq; non tepidè & oscitanter, sed magna cum devotione augustissimum Eucharistiæ Sacramentum frequentare. Esto cæcus in omnibus, quæ pelliciunt ad malum: cave ne oculos in quamlibet partem temerè conjicias; alioquin & accendetur libido, & mentis tuæ tranquillitas perturbabitur. Omnia ferè vitia per oculos cor ingrediuntur, egrediuntur verò per eosdem oculos ex corde tuo pietas, humilitas, puritas. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* David.

Punctum V. Moveant te ad candorem illibati animi & corporis conservandum privilegia castitatis, quæ tanta sunt, tamq;

inhumera ut nec exprimi possint: sufficiat dicere; DEUM, Castissimam V. MARIAM in Matrem, B. Joannem Evangelistam in dilectissimum Christi Domini Discipulum elegisse, â gula Leonum Danielem, tres pueros ab ardenti fornace, tam charæ sibi & jucundæ puritatis intuitu liberâsse. O castitas virtus Angelica! quàm amabilis! quàm jucunda DEO! quàm utilis es & necessaria, non solùm mihi, sed & omnibus hominibus.

MEDITATIO III.
De Recidivo.

Punctum I. GRaviter DEUS illis indignatur, qui DEO se quærenti non non appropinquant. De quibus meritô quæritur apud Isaiam *c. 65. Exepandi manus meas toto die, ad populum incredulum, ipse verò graditur, in via non bona post cogitationes suas.* Nonne convenit etiam nobis ut occuramus, & appropinquemus Pastori nostro. Ad quod nos sedulò exhortatur Apostolus *c. 4.* Epistolæ suæ cum ait: *Appropinquate DEO, & appropinquabit vobis DEUS.*

Punctum II. Cur impios DEUS toleret & prosperari sinat? quia demonstrant DEI bonita-

bonitatem ſimul & juſtitiam. Bonitatem dum impios tam diu expectat ad pœnitentiam, quàm diu ſpes aliqua emendationis ſupereſt; juſtitiam verò dum punit jam plane incurabiles. Expreſſit hoc Salvator noſter in parobola illa ficûs, quæ triennio ſterilis juſſa eſt excindi è vinea, precibus tamen vinicolæ dilata ad annum, ſi forſan exculta fructum afferret, ſi minùs poſtea excinderetur, velut incurabilis. *Lucæ 13.* In hunc ergo modum DEUS utetur ſuâ miſericordia erga ſteriles peccatores, prorogans eis vitam, ſi ſpem fructuum nullam præbeant, tandem ſecuri ſuæ juſtitiæ excindit eos

Punctum III. Conſidera motiva, quæ te à recidivo deterrere debent. *1.* Recidiva peccata multò pejora prioribûs. Quapropter guloſitatis, iracundiæ, ſuperbiæ, aut alius vitii actus, in quem aliquis hodie cadit, longè gravior eſt, eo ſimili actu, in quem ceciderat heri: 2. DEUS recidiva peccata ſeverioribus pœnis adjudicat, quàm prima, in hoc ſe conformans Judicibus terræ, qui prima vice furantem, aut exilio mulctant, aut ad palum in propatulo ad ignonimiam deſtinant, at ſi iterum atq; iterum ad facinus redeat, non aliud cum

eo

eo agunt, quàm ad triremes in perpetuum condemnetur, aut ad furcam, & patibulum elevetur. *Vulnus iteratum ſanatur tardiùs, frequenter peccans, & lugens, vix veniam meretur* ait S. Iſidorus 4. A recidivo ſurgere, veniamq; impetrare oneroſſimum. 1. quia malignus ſpiritus plus in nos poteſtatis habet, validioribus machinis pugnat quàm antea, ut nos in ſua tyrannide detineat. 2. DEUS averſior à nobis redditur, ſæpe ſecreto quodam judicio ſubtrahit gratiam, cujus nos fecimus indignos, ejus miſericrdiæ & bonitatis delicias contemnentes.

Punctum IV. Tres aſſignantur partes Recidivi. 1. Recidimus in peccatum quando nos in gratia DEI eſſe reputamus, & tamen in peccato mortali ſumus, ob Confeſſionem vero dolore deſtituta aut aliqua alia conditione requiſita maneam. 2. Recidimus in peccatum, cùm ſtatim à Confeſſione nos mox periculis peccandi exponimus. 3. Recurrit peccatum, dum ea, quæ Confeſſarius preſcripſerat vel per modum conſilii dederat, negligimus.

Punctum V. Conſidera remedia conſentanea ad cavendum recidivum. 1. Confeſſione opus eſt generali, ad reparandum

defectus

fectus particularium, nisi à pauco tempore, idq; bene præstiteris 2. odio inextinguibili non solùm peccatum prosequi, sed etiam occasiones peccandi fugiendo. 3. habere Confessarium & Directorem pium, prudentem, doctum, ipsiq; parere in omnibus tanquam DEO. 4. viribus propriis nequaquam fidere, sed Divinam gratiam exorare, ut succurrat ad non relabendum. 5. Augustissimum Altaris Sacramentum recipere frequenter cum magna præparatione & devotione. 6. crebrò manè & vespere formare proposita nunquam DEUM offendendi: hæc enim sunt velut retinacula quædã, quæ nos à Recidivo muniunt. 7. Animô versare fines ultimos: *Recordare novissima tua*, ait Sapiens, *& in æternum non peccabis.*

MEDITATIO IV.

De Perseverantia.

Punctum I. IN adolescentia & in senecta æquus tibi labor sit: nec dicas, dum potui, laboravi, debeo in senectute quiescere? Nescis enim utrum in senectute, aut in ætate longæva placeas DEO. *In quacunq; enim die erraverit justus, veteres eum justitiæ liberare non poterunt.* S. Hieronymus In c. 11. Eccles.

Punctum II. Considera causas, quæ te ad perseverantiam in DEI gratia toto vitæ tempore, bonorumq; operum exercitatione compellunt. 1. Dominus noster solùm iis Beatitudinis gaudia promittit, qui perseveraverint in bonis operibus usq; ad mortem, ait enim: *Qui perseveraverit in finem, hic salvus erit.* Hic verba Christi perpendas. Non dixit: Qui in timore & amore DEI annum unum, duos, aut tres, aut usq; ad quadragesimum aut ad quinquagesimum annũ tantummodò perseveraverit, vitam æternã possidebit; sed affirmat: *Qui perseveraverit in finem, hic salvus erit.* 2. Merces quam promittit ei, qui perseveraverit in finem, infinita est: non promittit ei opes mundanas, non nobilitatem, & potentiam, non sanitatem, non honores & dignitates; sed promittit vitam æternam, *Qui perseveraverit in finem, hic salvus erit.* 3. Nihil nobis proderit benè incepisse, nisi perseveremus in finem. Quid infortunato Judæ laudabilis vitæ primordia in Apostolatu contulere? Eheu! meliùs fuerat illi, si nunquam natus fuisset, quàm post initia felicia quidem corruisse, & diem suum miserabili & luctoso fine clausisse.

Punctum III. Considera duo esse genera perseve-

perseverantiæ, unum falsæ, alterum veræ, primum genus perseverantiæ habent. 1. qui in bono perseverant quam diu prosperitas durat: adveniente tribulatione, à Dei servitio resiliunt. 2. qui perseverant quidem in fuga plurimorum peccatorum lethaliũ, sed non omnium, aliquod grave committentes. 3. qui virtutem sequuntur, quamdiu ab occasionibus DEUM offendendi seducti sunt, at statim ac aliqua se præbet, languidè & cunctanter omnino fugiunt, eiq; miserabilem in modum succumbunt. Secundùm genus perseverantiæ nempe bonæ, eorum est, qui tam in sanitate, quàm in consolatione, tam in egestate, quàm in abundantia perseverant, tam in adversitate, quâm in prosperitate, in tentatione & tranquilitate, tam in periculo, quàm extra periculum; qui tandem non solùm quædam mortifera peccata devitant, sed universa, nullô excepto, non quidem ad tempus, sed semper.

Punctum IV. Considera media, quibûs uti debes ad perseverandum in gratia Dei & amore usq; ad mortem. 1. quotidie à DEO perseverantiam humiliter postulare, quæ ipsius donum est. 2. singulo quoq; mane surgendo, & serò, petendo lectum, gra-

vem & authenticam protestationem edere, mortem subiturum te potiùs, quam vel unum peccatum mortiferum, aut veniale commissurum. 3. freqentare tribunal Confessionis cum magna peccatorum compunctione, Sacramq; mensam cum magno fidei & devotionis affectu. 4. erga B. Virginem religiosissimum se præstare, nullumq; transmittere diem absq; pio quodam venerationis cultu ei redditæ. 5. diligenter omnes occasiones devitare, quæ te in laqueum peccati pertrahere possent, spem omnem in DEUM reponere, ac confidere illum nunquam deesse eis, qui volunt piè vivere, gratiasq; necessarias semper ipsi conferre quibûs uti ad suam salutem valeant. Tandem mortem adventare, esse in propinquo, si te in statu peccati mortiferi intercipiat, aspectu DEI privandum inæternum, in infernum dejiciendum, flammîs cruciandum æternìs, unà cum dæmonibus & damnatis.

Punctum V. Non coronabitur, nisi qui perseveraverit usq; in finem. Hoc nos Christus docuit, quia ad descensum Crucis provocatus descendere noluit, sed perferendo Crucem usq; *ad consumatum est.* usq; ad mortem. S. Edvardus Angliæ Rex, ejus

ejus nominis tertius Hibernum pedis utriusq; officio privatum, rogatus suscipere in humeros, & portare usq; ad Templum S. PETRI ex palatio suo suscepit, & mox in itinere nervi debiles extenduntur, sananturq; pedes. Tunc clamavere omnes, sanatum langvidum, onus ob squalorem & fœtorem deponendum. Sed ille nequaquam acquievit, donec ad præscriptum terminum, Templum S. PETRI pervenit, ubi ante S. Altare ægrum deposuit sanum. *In ejus vita 5. Febr. Albredus Abbas Anglus apud Sur.* Suscepimus in nos sub generalis Confessionis die suave pœnitentiæ jugum, eiq; nos alligavimus firmo proposito non abjiciendi, nec confrigendi illud. Feramus igitur fortiter quod nobis imposuimus; licet caro, mundus, & tota diaboli caterva obsistat, & contrarium suadeat, usq; dum perveniamus ad Templum illud cujus Claviger est Petrus.

N. B. Si placuerit ad octo dies Recollectiones protrahere, possunt Meditationes reassumi ex præcedentibus quæ magis gustui veniebant ad exercitium in aliqua virtute, vel ad extirpandos aliquos conscientiæ defectus

CON-

CONCLUSIO
Recollectionum.

FInita ultima Meditatione, gratias age DEO pro omnibus beneficiis tibi exercitiorum tempore concessis, & in hunc finem recita Psalmum: *Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Dñi manet in æternũ. Gloria Patri. &c.* Si autem per hoc tempus impefectiones etiam aliquæ contigerunt, veniam pete, & gratiam servandi proposita à te hic concepta, orando cum Davide: *Miserere mei DEUS, secundùm magnam misericordiam tuam. Et secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Ampliùs lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.*

STU-

STUDIUM
Ignorantes docendi.

AD Gentes ignorantes DEUM, & non providentes novissima, motus miseratione Dominus, designat Jeremiam Prophetam, renuit suscipere hoc officium agnoscens suam imperitiam: Domine DEUS ecce a, a, a, nescio loqui. *Unde infundendo ei Dominus scientiam, dixit ad eum:* Ecce dedi verba mea in ore tuo. Jer: *C. 1. Itaq; eruditus & instructus, suscepit onus Gentes docendi. Prius Magister Apostolorum:* aperiens os suum docebat eos, *postea subjunxit;* quod in aure auditis, prædicate super tecta. *Prius informavit: sic orabitis.* Pater noster &c. *Item monuit:* Estote perfecti &c. *ut alios efficacius persvaderent observationem mandatorum Dei, & consiliorum Evangelicorum sequelam. Unde ne mihi, vel alicui Vestrum opponat Doctor Gentium Rom:* 2. Qui alium doces, te ipsum non doces? *Velociter assumamus studium pulchritudinis internæ & externæ, scilicet antequam evadamus attoniti populo Concionatores, sapientes & prudentes Pœnitentiarii, sagaces quoq; Catechistæ; prius efficiamur attenti Sacræ Scripturæ, Doctorum Ecclesiæ, Theologiæ Moralis Lectores, maximè solliciti imitatores.*

Ad hanc operam solicitè invitat S. THOMAS opusculo 65. Certè cùm videbimus Medicos corporum, revolvere quotidie, & legere libros Physicales, & medicinales, in quibus docentur curare corpora moritura: magna stultitia est non legere libros SSrum medicinales animarum, in quibus docemur curare animas in æternum victuras. Majus est enim damnum unius animæ, quàm de morte innumerabilium corporũ. *Si quæris quid sit Sacra Scriptura, & SSrum Patrum libri ad veram pœnitentiam, & ad perfectionem Christianam moventes? respondeo ex Doctrina D. Chrysostomi Homilia 2. in Gen:* Divinas Scripturas esse literas & epistolas DEO dictante exaratas, & ad homines missas: *Cui accedit Magnus Augustinus in Psalm: 90. his verbis:* De illa Civitate unde peregrinamur, literæ nobis venerunt, ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut benè vivamus. *Hæc ut verissima scripsit, quia in se experimento didicit. Nam licet ejus conversio adscribi Ambrosianis Concionibus soleat, debetur tamen potissimum lectioni Sacræ. In hortulum enim domesticum semel secedens remotiùs à conspectu hominum, & sub quadam arbore sedens inter suspiria & lachrymas se ipsum alleqebatur.* Quàm diu? quàm diu?

cras?

cras? & cras? quare non modò? quare non hac horâ finis turpitudinis meæ? *Hæc dicens & ingemiſcens. ecce audit vocem cantûs, dicentis & crebrò repetentis quaſi pueri.* Tolle lege, Tolle lege. *Auguſtinus attonitus, neſciens unde vox illa venerit, cùm nullus mortaliũ in vicinio eſſet, aperuit quem habebat librum, erant autem Epiſtolæ S. PAULI, & legit, in quod primum inciderant oculi, eratq; hic textus.* Non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis non in contentione & æmulatione, ſed induite Dominum JESUM Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis. *Rom: 13. Et ecce ſtatim cum fine hujus brevis lectiunculæ, totus eſt mutatus ab illo, qui fuit ante Auguſtinus:* Excuſſo peccati jugô, cervicem leni jugô, Chriſti ut ipſe aſſerit, ſubjecit. *Sacra igitur lectione ſolus eruditus & emendatus, tandem in aliorum ſalutem procurandam exemplô & ſcripto totus incutit, & nobis Presbyteris in Vineam Chriſti ad operandum miſſis ignorantes viam juſtitiæ populos ex animo docere intendentibus, bonam & exemplarem, laborioſamq; in revolvendis libris ſacris inſtituere conſulit vitã. Etenim illa Prophetæ Davidis verba Pſal: 39.* Videbunt multi & timebunt & ſperabunt in Domino, *ſic interpretans*

ait

ait: Videbunt inquit exempla tua bona, timebunt ſequi vias malas, cùm viderint te elegiſſe vias bonas. Et ſperabunt in Domino, quia ipſe, qui tibi opem tulit, ut vias bonas eligeres, & ipſis ad easdem ingrediendas opem feret. *Prævia tua zeloſa prædicatione (Prædicatores enim ſuos Dominus ſequitur) in qua ex abundantia cordis atq; ingenii perfecti, & os annuntiabit populo ſcelera eorum, & fiet, quia non unus impius derelinquet viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas. Dantes autem operosè tam efficacia eloquia pulchritudinis, ſi non ut JESUS (qui erat quotidie docens in Templo) ſaltim in Dominicis & Feſtis, tum concionando, tum catechizando erudientes multos ad Juſtitiam fulgebunt (inquit Daniel Propheta 12.) quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. O quàm dulce & ſuave meminiſſe linguæ S. ANTONII quam Divus Bonaventura Annô à morte ipſius 32. integram in ſepulchro reperit, & his vocibus exoſculans veneratus eſt*: O benedicta lingua, quæ Dominum ſemper benedixiſti, & alios benedicere docuiſti, nunc liquet quàm grata ei fueris quanti apud DEUM meriti. *His præmiis & motivis excitata mens tua mi Lector jam reſurgit fervida, quæ olim forſan erat torpida ad laborem Eccleſiaſticum, jam ſollicitè*

inquirit

inquirit de modo ritè catechizandi. Annuo igitur tam piæ voluntati, & sequentem Cathechizandi praxim à Viris plenis spiritu scientiæ & pietatis observari solitam propono.

1mò. *Adveniens Catechista separatam utriusq; sexûs juventute, & hinc inde in suas classes distributa: præficiantur cuiq; scamno qui absentes notent, & Parocho scriptos tradant, quos ille nisi justam absentiæ causam habeant, impunè non dimittet. Postea dicto:* Veni Sancte, *faciat signum Sanctæ Crucis, & dicat cum pueris* Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Credo, Præcepta DEI & Ecclesiæ.

2dò. *Antequam incipiet quidquam dicere de doctrina, faciat sibi aliquod præambulum seu accessum per sermonem brevissimum, & cum omnibus faciat signum Sanctæ Crucis.*

3tiò. *Ut nunquam formentur plures quæstiones quàm tres principales, & ita curandum est, & tam diu inculcandum, donec audientes capiant ipsas, intelligant & teneant memoriâ.*

4tò. *Ex singulis tribus quæstionibus principalibus jam finitis (si illas jam sciunt pueri) eruantur quæstiones adjacentes tales ad quas facillimè possint respondere homines.*

5tò. *Ut tales quæstiones adjacentes non sint multæ, sed ad singulas quæstiones principales sufficiant 5. aut 6. adjacentes.*

6tò

6tò. *Ut difficiles quæstiones adjacentes solus Catebista solvat, ne audientes difficultate turbentur & confundantur.*

7mò. *Ut absolutis quæstionibûs adjacentibûs, repetat solus Catechista propositas quæstiones principales, sine adjacentibus propter memoriam.*

8vò. *Commendetur doctrina dicta fructusq; dicantur sequentes ex illa hic & nunc habendi.*

9nò. *Historia aliqua dicatur approbata, quæ sit confirmans doctrinam & fructus sequentes ex illa, hic & nunc auditos.*

Ultimo Actus Fidei, Spei, & Charitatis sunt absolvendi.

EXEMPLUM
O Wcieleniu Syna Boskiego.
1ma *Principalis Quæstio.*

P. Ktora Osobá Troycy Swiętey stáłá się Człowiekiem?

O. Wtora, to iest Syn Boży.

2da Principalis Quæstio.

P. Dla czego stał się Człowiekiem?

O. Aby nas wybáwił z niewoli czártowskiey.

3tia Principalis.

P. Wieloráka iest náturá w Chrystusie Pánu?

O. Dwoiaka, Boska y Ludzka.

Ad primam Quæstionem principalē adjacentes.

P.

P. A BOG Oćiec ſtał ſię Człowiekiem?
O. Nie.
P. A Duch Swięty? O. Nie.
P. A TROYCA Swięta? O. Nie.
Tylko Syn Boſki.

Et ſic de cæteris Quæſtionibus principalibus dicendum eſt. Aptis quæſtiunculis, & ad captum cujusq; propoſitis obvios quosq; interroget, eadem de re à pluribus reſponderi jubeat, ſolertiores laudet, & munuſculis juvenilem diſcendi ardorem excitet. Tali methodô, & qua par eſt diligentiâ catehizabat p. d. Admodùm Rńdus Joſephuus Błoński *Plebanus in Oppido Zakliczyn (ut ex relatione duorum pauperum puerorum audivi) dum enim proficiſcendo in Patriam cauſa refectionis declinavi in hoſpitium hujus Civitatis, quò etiam brevi venerunt & illi pauperes eleemoſinam petentes: & quoniam ex DEI gratia magna conſolatio mea ſolebat eſſe cum talibus converſari, ideo non iracundus ſed jucundus ambos ſeparatim probavi utrum ſcirent facere ſignum S. Crucis, & alia tum neceſſitate medii, tum præcepti; omnia perfectè callebant. Unde admiratus curiosè interrogavi; à quo hæc didicerint? Reſponderunt uniformiter: quòd à Parocho hujus Eccleſiæ. Verè docuit & cuſtodivit uniuscujusq; ex Parochianis animam, quaſi pupillâ oculi ſui,*

ita

ita ut coram Judice vivorum & mortuorum in extremo mortis suæ conflictu tenens ejus imaginem securè protestari poterit. Manifestavi Nomen tuum hominibus quos dedisti mihi, & spero quia non perdidi ex eis quemquam per aliquam negligentiam aut pravum exemplum.

Prædicatio autem Verbi DEI quomodo instituenda qua conscientiæ integritate? in qua materia? & quàm ornato eloquiô? omnes non dubito curiosè sciscitamini: sed cùm ego sim Idiota, & minimus inter vos Fratres Sapientiâ præditos, igitur suppono pro me S. ISIDORUM Episcopum Homilia super Evangelium Matth: cap: 5to, ita differentem. Qui in erudiendis atq; instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est ut in omnibus Sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Hujus sermo debet esse purus, simplex, apertus, plenus gravitatis & honestatis, plenus suavitatis & gratiæ, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ de disciplina justitiæ, unum quemquè admonens diversa exhortatione, juxta professionem, morumq; qualitatem, scilicèt ut prænoscat quid, cui, quando vel quomodo proferat? Cujus præ cæteris speciale officium est, Scripturas legere, percurre-

currere Canones, exempla Sanctorum imitari, Vigiliîs jejuniîs, Orationibûs incumbere. *Ejus modi, mentis & artis, non dubito fuisse B. J. CANTIUM. Ilcussiensi enim Beneficio susceptô omnes in se boni Pastoris partes, adimplere satagebat. Sapientiâ, vitæ etiam inculpatæ innocentia, tum sparsis voce sua Divinis Præceptîs, ac formidabili illo æternæ Veritatis edictô Matth: 7mo* Lata via est quæ ducit ad perditionem & multi sunt qui intrant per eam. Angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam & pauci sunt qui inveniunt eam. *Hæc & alia tam efficaciæ dabat eloquia pulchritudinis, ut videres plurimos peccatorum inquinamenta expiare, vitiis renuntiare, supplicia delictorum vario cruciatu, vestigia Pastoris sui sequendo ex se sumere, & erecta probitatis trophæa imitari:* Sunt & hoc tempore (*inquit Gregorius*) qui bona audiunt, desunt tamen, qui dicant. Ecce mundus Sacerdotibûs plenus est sed tamen in messe DEI rarus valde invenitur Operator. *Sed cur remissus animus, à tam meritorio opere? si ab aliquo ignoratur formæ concionandi, propono sequentem.*

Thema sumendum de Scriptura Sacra sivè novi sive Veteris Testamenti. 1mò *debet esse breve.* 2dô *clarum, absq́; æquivocatione, aut*

obscuritate. 3tiò. Pluries repetitur in Concione, qua propter convenire debet materia de qua tractatur.

Exordiorum longitudinem non solùm esse inutilem, sed etiam nocivam propter tædium, quod parit auditoribus. Propositio materiæ breviter, seu uno, vel duobus versibûs fieri debet. Postea discursus brevis solet præmitti. Sensus Propositionis probatur Authoritate, vel ratione, aut exemplîs. 1mò. Authoritates desumuntur ex Scriptura Sacra 2dò. ex Concilio. 3tiò. ex Traditione. 4tò. ex Patribus præsertim antiquioribus. 5tò. Nonnunquam ex profanis ubi notandum est: Textus Scripturæ allati debeant 1mò esse breves 2dò. sunt etiam roborandi Authoritate Patrum 3tiò si sunt desumpti ex aliquo Authore profano iis quantum fieri potest adjungenda est Authoritas alicujus Sancti Patris.

De affectibus.

Affectus sunt apti ad movendum & ferme in tota prædicatione dicendi sunt, sed præcipuè circa finem cujuslibet Sancti: Possunt verò dici 1mò per interrogationes; Putatis ne unquam aut creditis &c. Data etiam definitione contritionis, aut alicujus alterius rei, interroga videte utrum habeatis hanc veram contritionem? habetis ne hanc virtutem? Re-

latio

latis signis alicujus virtutis aut vitii agnoscimus in vobis hæc signa? Consulamus conscientiam num aliquis se reum sentit vitii aut delicti? Confessiones nostræ præcedentes fuerunt ne omnes bonæ? Verùm est, quòd multæ interrogationes mirum tamen modum excitent Auditores, & ordinariè plurimum afficiant eorum animos. 2dò *Per exclamationes: O nos miseros quid faciemus offendentes DEUM tam bonum! O si sciretur ô si bene ponderaretur?* 3tiò. *Per admirationem: Est ne hoc possibile?* 4tò. *Per compassionem erga Christum. Heu nos miseros qui te offendimus. Tu qui &c. quare hoc permisisti? ac sic cineæci.* 5tò. *Per obsecrationes ad Christum DEUM &c.* 6tò. *Per invectivas peccatum, diabolum, & mundum. Vach fallax qui tam multos habes famulantes tibi. Vach crudelis qui in infernum detrudis tuos sectatores.* 7mo. *Per actus condolentes peccatori. O quàm miser es te ita perdis! quàm multis te implicas calamitatibus.*

De Pronuntiatione.

1mò, *Tota Contio pronuntiari debet tonô naturali & familiari cum debitis influxionibus, vocis, vitando monotoniam, & quod redolet cantum. Nam res etiam optimæ nullam vulgò impressionem faciunt, quando hoc ultimo modô pronuntiantur.*

2dò. *Nec etiam altiori voce loquendum est quàm auditorium & spatium requirant, elata enim vociferatio non solùm Concionatorio pectori necet, sed etiam Auditorum aures lædit.*

3tiò. *Distinctè & moderatè loquendum est tantisper moderando & commodè respirando in fine periodorum, & diutiùs in fine cujusq; motivi & medii.*

4tò. *Diligenter vitanda est longitudo sermonis, quæ solùm est tædiosa & onerosa populo: qui hac Concionis diuturnitate exacerbatus minus proficit, est autem satis duobus vel tribus duntaxat quadrantibûs prædicare. Ad componendam Concionem specialiter hæc sequentia desiderantur 1. Scientia 2 Prudentia 3. Congeries librorum. 4. Alacbritas. 5 Tempus 6. locus. 7. zelus gloriæ DEI, & salutis animarũ. Quoniam si aliqua desunt favorabile sequere Consilium Celsissimi Principis & Episcopi ANDREÆ ZAŁUSKI, qui in Processu per totam Diœcesim transmisso, indulsit Admodùm Reverendis Parochis & Vicariis ex Authore aliquo in Ambona legere Concionem à Populo audiendam. Observanda tamen in tali methodo erunt sequentia.*

1mò *Liber Concionatorius sit Polonico idiomate, & Typo majore approbatusq;.*

2do. *Domi priùs perlegatur ne cum tua ignominia balbucias & hallucineris.*

3tio. *Attente, devotè, paulatim lege commata, interrogationes, & exclamationis notas apta voce observa. In periodis siste paulisper respira. Ideo autem hoc Episcopus permisit. Ut quotidie utili studiô vacantes animæ lucra quæreremus. Quis enim ex nostra eruditione luxuriam deseruit? quis avaritiam quis superbiam declinavit. Ecce mundus plenus laqueis tentationum. ut vidit S. Antonius. Omnes autem qui piè volunt vivere in Christo interrogant quomodo possumus esse continentes ab his, & his delictis, ad quæ ab inimicis animæ inclinamur fac me prudentem superbos inimicos meos, quos tu nosse debes, illorum astutiam nobis detegere, & quibus armis, debellandi edocere teneris. Si autem diligentissimè lector eorum numerum, malitiam & arma ad repugnandum minus hucusq; noveras cum scientia & prudentia ex Sanctis Patribus desunpta, venio in obsequium tuæ tuorumq; salutis.*

Dæmon primus hostis olim erat initium viariū DEI, nunc principium viarum iniquarum. Infensissimus DEO quia ab Illo detrusus in tartara, invidentissimus hominibus, quia illis parata via ad cœlum, illi preclusa in æternum. Ille primus decepit Parentes nostros in Paradiso susurrans blandam promissionem Eritis sicut dii scientes bonum & malū Gen: 3. *ubi etiam*

mox factus est communis omnium hostis. Contra quem est nobis quotidiana colluctatio, nobis inquam Christianis maximè autem Spiritualibus ut S. Hilarius præcavet inquiens: In Sanctificatis maximè diaboli tentamenta grassantur, quia victoria ei est exoptata de Sanctis *Ille Antonios, Hilarios, Macarios: Paulum Apostolum, Christum ipsum DEI Filium ausus est aggredi. In exteriobus bellis locus tam commodus & opportunus datur ut ab hoste omnem securitatem promittat, tales sunt Urbes & Arces munitissimæ. At verò nullus unquam à diaboli tentatione securus est locus: Non in Templo, non ad Sacram Aram, non ad Sanctam ipsam Christi Mensam, multominus in foro, via, domo: ubiq; laqueos tendit, cogitationes articulis fidei repugnantes, blasphemias, carnales suggerit, iras, rixas, odia serit, pacem turbat. Quosdam hominum illecebrîs oculorum, alios illecebrîs aurium, hos gulæ, illos luxuriæ delinimentis, hos linguâ, illos vestium pompâ, hos nimia corporis curâ irretit. Ergo ad arma omnes imbecilles & imbelles animat Doctor Gentium Eph: 6.* Confortamini, accipite armaturam DEI ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.

1ma *armatura est vigilantia seu:*

Principiis obsta serò midicina paratur,
Cum mala per longas invaluerê moras.

Sicut scintillam ex manu, ita tentationem ex mente quàm primum expelle.

2da armatura est Oratio: utramq; porrexit Christus Apostolis Matth: 26. Vigilate & orate ut non intretis in tentationem. Huc collimat Rodriquez p. 2 tr. 4. sequenti narratione. Smaragdus Abbas refert; aliquando vidisse Religiosum quempiam duos dæmones inter se fabulantes; quorum unus ad alterum ait: ut tibi succedit cum tuo Monacho? Respondit alter: quidquid ipsi suggero, arripit, & cogitando fovet, ego misero cerebrum perturbo, & ad insaniam prope redigo. At ego inquit alter cum meo Monacho admodum nihil promoveo, quia quàm primum ipsi cogitationem pravam inicio, mox ad DEUM, aut aliam cogitationem recurrit, unde nullus mihi ad eum accessus patet.

3tia Gladius Verbi DEI, hoc gladio Christus Matt: 4. trinam sathanæ tentationem superavit.

4tâ Detectio tentationis Patri Spirituali. Astion Juvenis Eremita turpem cogitationem Magistro suo revelans, audivit sathanam dicentem: Confessio tua Astion magnas vires meas contrivit 5tô. S. Antonius Abbas sæpè Discipulos excitans ad pugnandum contra diabolum docensq; quibus armis vinceretur. Mihi

credite

credite (*dicebat*) Frates pertimescit sathanas piorum vigilias, Orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in Christum Dominum, cujus unico Sanctissimæ Crucis signô debilitatus aufugit. *Aufugit, sed mox redire solet, uti musca iterum iterumq; abacta identidem redit, sed hoc hominis certantis promeritum supra modum auget.* Dæmonum est mala suggere *inquit* BERNARDUS, nostrum est non consentire. Quoties eis resistimus, toties eos superamus, Angelos glorificamus, DEUM honoramus. *Estote ergò fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, & accipietis regnum æternum. Caro nostra est hostis domesticus, eo ipso gravis & molestus, quia domesticus, quia quotidianus, caro enim hæc cùm sit corruptelæ illecebra, semper concupiscit adversus spiritum.*

Gradus tentationis tres numerantur: *Primus est suggestio, à quo vix ullus hominum ratione præditorum liber est.*

Secundus est delectatio, aut displicentia.

Tertius est ipse consensus, vel dissensus de quo dixit S. BERNARDUS. Non nocet sensus ubi non est consensus, *imò quod resistentem fatigat, vincentem coronat, ut ex sequen-*

sequentibus conjcimus. Quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Tentationes non sentire Angelicum est, tentationes sentire & vincere est Christianum. Tentationibus consentire & ex malitia delinquere diabolicum est. S. AMBROSIUS Episcopus *Cap: 4 de Noe & Arca scribens sic unumquemq; nostrum alloquitur.* Habes quia iratus Dominus est, quoniam quamvis sciret, quia homo positus in terræ regione carnem portans, sine peccato esse non possit (terra velut quidam tentationis locus est, caroq; corruptelæ illecebra) tamen cùm haberent mentem rationis capacem, virtutemq; animæ infusam corpori sine consideratione aliqua in lapsum ruerunt, ex quo revocare se nollent. Universali eos punivit deluviô. *Unde non debemus quasi blandiendo nobis & facilem sperando remissionem peccatorum, fragilitatem nostram respicere, sed timere severitatem punientis DEI, & antidota preservantia ab imminentibus morbis animæ efficaciter assumere, qualia infra præscribuntur.*

I. *Difficile quidem videtur à fragilibus hominibus Angelicam extorquere vitam, sed gratia vincit quod nequit natura, hâc fretus Pro-*

pheta dicebat Psal: 55. In DEO speravi, non timebo quid faciat mihi caro.

2. *Oratio humilis trahit auxilium ab Excelso sic monitos & monitos reliquit in terra suos Apostolos Magister Christus.* Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

3. *Remedium est habere frequentem memoriam præsentiæ DEI, verissimè enim scriptum est: Ecclesiastici* 23. Oculi Domini multò plùs lucidiores sunt super solem circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi & hominum corda intuentes. *Atq; occurrente prava suggestione meminisse etiam Angeli Custodis, ut monet* S. BERNARDUS. Tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes.

4. *Remedium est premente aliqua tentatione, recordari Christi patientis.*

5. *Remedium est usus frequens Sacramenti Pœnitentiæ & Eucharistiæ. Hic Panis Angelicus removet impuras, castas verò nutrit cogitationes,* N. B. *Sequens à periodis.*

Petra herinaciis Christianis autem tentatis refugium vulnera Salvatoris. Illuc confugiebat D. AUGUSTINUS: Quoties me pulsat aliqua turpis cogitatio recurro ad Vulnera Domini Nostri JESU Christi, nec alibi efficacius remedium invenio.

6. *Tempore tentationis ſvadet* D. BERNARDUS. Si inſurgant venti tentationum, reſpice Stellam, voca MARIAM.

7. *Periti medici ſolent à patiente expiſcari occaſionem morbi, quâ intellectâ ſvadent abſtinere à certis portionibus & potibus, qui cauſarunt infirmitatem. Mellis multus uſus bilem, jam autem carne pane tritico & vinô oppletus ſtomachus inclinat licet non neceſſitat ad libidinem. Unde S. Jacobus Minor ab ineunte ætate vinum & ſiceram non bibit, carne abſtinuit. S. Franciſcus Xaverius interdixit ſibi non ſolùm carnis & vini, ſed etiam panis quoq; triticei uſum. B. Joannes Cantius virginalem pudicitiam velut lilium inter ſpinas aſpero cilicio, flagellis atq; jejuniis cuſtodivit, quin & per annos ante obitum triginta circiter & quinque, ab eſu carnium perpetuò abſtinuit. Allaborantibus tamen in prædicatione Verbi DEI, & adminiſtratione Sacramentorum benigna Mater Eccleſia non exigit gravem auſteritatem, ſed tantùm quotidie admonet in Hymno ad Primam:* Carnis terat ſuperbiam potus cibiq; parcitas. *Genius Cæleſtis cuidam Aſcetæ dixerat olim. Qui ſemel in diem comedit, comedit ut Angelus qui bis comedit ut homo, qui autem plus, comedit ut jumentum. Retinete igitur conſvetudinem Se-*

minariorum Vestrorum in quibus edocti estis Theologiam & continentiam, pro qua vobis & Vestris Parochianis moralem & temporalem promittit benedictionem Spiritus S. Eccl: 10. Beata Terra cujus Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum & non ad luxuriam.

8. *Amor & obligatio perpetuam servandi castitatem de qua innuit* D. HIERONYMUS. Ut Filius DEI ingressus est super terram novam sibi familiam instituit. Qui ab Angelis adorabatur in Cælo, haberet Angelos & in terris.

9. *Remedium est meditatio novissimorum nempe: Mortis, Judicii extremi, & inferni, juxta illud:* Memorare novissima tua & in æternum non peccabis Eccl: 7.

Tertius Mundus. Hic tentat deliciis, divitiis honoribûs. His illaqueavit Salomonem, coacervavit enim sibi aurum argentum, fecit Cantores, Cantatrices, nec prohibuit cor suum, quin in omni voluptate frueretur, tandem post usum istorum omnium proprio ore Eccl: 2. *fatetur:* Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi. *Nolite igitur diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt.* 1. Joan: 2.

Quartus Hostis & quidem gravis & molestus est Mulier. Quia longè major est tentatio

(inquit

(inquit Lauredanus) per fœminam quàm per diabolum. In hanc retorsit Adam suum lapsum, illa etenim contrahendo colloquium cum serpente adeò tota infascinata venenò nequitiæ & tentationum, ut omnes fœminæ idem virus valde nocivum ab illa traxerit. Lubeat audire S. Cyprianum. De carbonibus scitellæ dissiliunt de ferro rubigo nutritur, de vestimentis procedit linea, de muliere peccati aculeus sybillus concupiscentiæ, fomes pestilentia. *Peste infectus homo videtur sibi sanus, tamen alloquentes se inficit pestilentiâ, ita mulier quamvis sibi & populo videatur modesta, devota, tamen ab illa ut ex Vesuvio in viros scintillæ ejiciuntur tentationum. Verùm tamen hostis iste vobis in sæculo commorantibus sub Spiritualibus Officiis minimè nocebit, si monitiones SS. Doctorum & sequentes cautellas mente semper retinueritis, & occurrente tali hoste, adhibueritis, quæ sunt tales. Fœminam quam vides bene conversantem mente dilige non corporali frequentia* S. Hier: *Sermo brevis & rigidus cum mulieribus est habendus* S. August.

5tus Hostis Socius malus. S. PAULUS *in 2da Epistola ad Timotheum scribens enumerat vitandos socios :* Erunt homines cupidi, superbi, blasphemi, ingrati, protervi, & volupta-

luptatum amatores, magis quàm Dei, habentes ſpeciem qui cum pietatis virtutem autem ejus abnegantes, *hos itaq; devitare conſulit*. Meliùs enim eſt (*inquit Iſidorus*) habere malorum odium, quàm conſortium.

Profectò ſocius malus fugiendus ſed bonus adhibendus. Unde Tobiæ adoleſcenti ituro in Regionem Medorum, miſit Dominus in Socium Angelum in ſpecie juvenis ſplendidi, à quo in rebus dubiis & variis periculis conſilium & auxilium ſemper præſens habuit. Et Salvator noſter præſcius futurorum periculorum, præſcripſit Diſcipulis ut bini agerent iter in omnem Civitatem & locum cum prædicatione Evangelii. Eandem obſerva cautelam ex mente Chriſti. Socius tuus ſit vel Presbyter vel Clericus, vel Miniſter Eccleſiæ vel ſervus, habentes timorem Dei, ingrediens enim Domum Sæcularium, non denigrabis famam, non contrahes pericula integritatis vitæ.

Jam ergò manifeſtavi capitales ſalutis Animarum noſtrarum hoſtes, & propoſui arma, quibus debellandi, Singulos armavi non clipei & haſtæ munitione, ſed ſermonibûs optimis & exhortationibûs. Exhortati itaq; in Nomine Domini Exercitium, confligite fortiter ad æmulationem & imitationem veſtri anteſignani B. J. Cantii, qui dæmonem ſignô S. Crucis, carnem mortificatione, Mundum deſpecti ne, breviloquentia Mulierum, pravos ſocios juſto odiô, forti animô quia vincebat; ideò triumphat in Cælis coronatus.

LITA-

LITANIÆ
DE SS. NOMINE JESU.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere n.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus DEUS, Miserere n.
JESU Filii Dei vivi, Miserere nobis.
Iesu Potentissime,
Iesu Fortissime,
Iesu Perfectissime,
Iesu Gloriosissime,
Iesu Jucundissime,
Iesu Humillime,
Iesu Clarior Sole,
Iesu Pulchrior Luna,
Iesu Splendidior Stellis,
Iesu Admirabilis,
Iesu Delectabilis,
Iesu Honorabilis,
Iesu Pauperrime,
Iesu Mitissime,
Iesu Patientissime,
Iesu Obedientissime,
Iesu Castissime,
Iesu Amator castitatis,

Miserere nobis. Miserere nobis.

JESU

Iesu Amator pacis,
Iesu Amator noster,
Iesu Speculum vitæ,
Iesu Exemplar virtutum,
Iesu Decus morum,
Iesu Zelator animarum,
Iesu Refugium nostrum,
Iesu Pater pauperum,
Iesu Consolator afflictorum,
Iesu Thesaurus fidelium,
Iesu Gemma pretiosa,
Iesu Armarium perfectionis,
Iesu Bone Pastor ovium,
Iesu Stella Maris,
Iesu Lux vera,
Iesu Sapientia æterna,
Iesu Bonitas infinita,
Iesu Gaudium Angelorum,
Iesu Rex Patriarcharum,
Iesu Inspirator Prophetarum,
Iesu Magister Apostolorum,
Iesu Doctor Evangelistarum,
Iesu Fortitudo Martyrum,
Iesu Lumen Confessorum,
Iesu Sponse Virginum,
Iesu Corona Sanctorum Omnium,

Miserere nobis.
Miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis Iesu.
Propitius esto, Exaudi nos Iesu.

Ab omni malo, Libera nos Iesu.
Ab omni peccato, Libera nos Iesu.
Ab insidiis diaboli, Libera nos Iesu.
A peste, fame, igne & bello, Libera nos.
A transgressione mandatorum tuorum, Libera nos Iesu.
Per Incarnationem tuam, Libera nos Iesu
Per Nativitatem tuam, Libera nos Iesu.
Per Cælestem Nominis JESU impositionē, Libera nos Iesu.
Per Dolores tuos, Libera nos Iesu.
Per Flagella tua, Libera nos Iesu.
Per Mortem tuam, Libera nos Iesu.
Per Resurrectionem tuam, Libera nos.
Per Ascensionem tuam, Libera nos Iesu.
Per Gaudia tua, Libera nos Iesu.
Per Gloriam tuam, Libera nos Iesu.
Per Dulcissimam Virginem Matrem tuam, Libera nos Iesu.
Per Intercessionem Omnium SS. tuorum, Libera nos Iesu.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut dulcem melliflui Nominis JESU memoriam, in tabulis cordis nostri digito virtutis tuæ inscribere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Nomen tuum SSm̃um & viventes in opere, & manentes in ore habere mereamur, Te rogamus audi nos.

Ut Benignissimus JESUS nobis sis JESUS,
Te rogamus audi nos.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Parce nobis IESU.
Agnus Dei qui tollis pecata mundi,
Exaudi nos IESU.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Misere nobis IESU. (nos.
JESU Christe audi nos, JESU Christe exaudi
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster. &c.
Et ne nos inducas in tentationem,
Sed libera nos à malo.
Sit Nomen Domini benedictum,
Ex hoc nunc & usq; in sæculum.
DEUS in Nomine Tuo salvum me fac,
Et in virtute tua judica me.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO

DEUS qui Gloriosissimum Nomen Domini nostri JESU Christi Filii Tui fecisti fidelibus tuis, summo suavitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum, atq; terribile. Concede propitiùs ut omnes qui hoc Nomen JESU devotè venerantur in terris, Sanctæ consolatio-

lationis dulcedinem in præſenti accipiant & in futuro gaudium exultationis, & interminabis beatitudinis obtineant in Cælis. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

S. Bernardus ad JESUM.

AMantiſſime Domine JESU Chriſte obſecro te per amorem illum perfectiſſimum, quo ſalutem noſtram zelando, ubiq; tam fideliter quàm ferventer cum quæris, da mihi rectam, puram, ſimplicem ac Dei formem in ſingulis intentionem, ut in quibuscunq; augendis, & vivens & moriens, non aliud quæram aut intendam, quam pure gloriam & beneplacitum tuum, Hæc da mihi fideliſſime Amator, & te ex toto corde meo deſiderem, diligam, & quæram in tempore, in æternitate, extinctó per gratiam tuam penitùs omni amore proprio.

ORATIO

S. Michàëli gratiſſima, ſicut Ipſe cuidam Epiſcopo apparens aſſeruit.

PRinceps Glorioſiſſime Michàël, Dux Cæleſtium Exercituum, Suſceptor Animarum, Debellator malorum ſpirituum; Eccleſiæ Dei poſt Chriſtum admirabilis,

grandisq; Excellentiæ & virtutis Rector, omnes nos clamantes ad te ab omni libera adversitate, & omni cultu Dei facias proficere tuo pretiosissimo officio, & dignissima prece intercedente. Obsecra per ardentissimum amorem tuum erga Deum Omnipotentem, ut nos admittere dignetur ad obsequium Majestatis suæ per vitam æternam Amen.

Ad S. Patronum Cujus Nomen quis habet.

O Gloriosissime Sancte N. inter cæteros mihi Dilectissime, qui mihi in Sacro Baptismatis fonte in Patronum datus es, in te omnem spem & confidentiam apud DEUM patrocinandi colloco, deprecorq; ut pedes meos dirigas in viam pacis, prosperitatis, & salutis æternæ, ut nunquam à virtutum tramite, ad vitæ tuæ exemplar discedam, mei quoq; in periculis tam animæ quàm corporis curam & custodiam suscipe in Cælis pro me ora, in terris me doce, in mortis articulo succurre, & cum JESU Deo meo, MARIA Matre Ejus, S. Angelo Custode, omnibusq; Patronis meis viæ vitæ æternæ comes occurre; ut cum jis & tecum partem æternæ Gloriæ habere merear in Cælis. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen. STU-

STUDIUM
Dubitantibus rectè consulendi.

UT *dubitanti rectè consulas, gratia* DEI, *& magna prudentia, præditus esse debes. Nulli prudentia necessaria magis, quàm pastoribus animarum, est enim hoc regimen ut omnes, ita per arduum, ideoq; Christus cum Apostolos ad salutem Animarum ex Officio procurandam emitteret prudentiam nominatim commendavit.* Estote prudentes sicut serpentes *quorum scilicet oculi & vigiles, & ad pervidendum perspicaces. Quid hic ais Noe-Paroche? plurima sanè tibi erunt dicenda pro suggestu in concione publicè pro Sacro Tribunali, privatim, sæpè danda consilia petentibus, sæpè non petentibus suggerendo, subinde etiam ex tempore. Argum propterea te esse oportebit centum oculis præditum ut omnia longè, lateq; conspicias & omnibus provideas. At ego inquies neq; Argus neq; sum annosus, ut tantam prudentiam à me requiras. Rectè ais, igitur Salomonis exemplo, ardenti prece sapientiam è Cælo accerse:* Emitte Domine (*ita enim ille orabat*) Sedium tuarum assistricem Sapientiam ut mecum sit & mecum laboret, & sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. *Hoc primum ut sapiens*

brevi evadas, alterum illud erit, ut quoniam homines DEUS per homines erudit, (ideo enim Paulum, cum ex eo quæreret, Domine quid me vis facere? *ad Ananiam remisit) consilia expete à viris eruditis & prudentibus, à quibus nullo negotio ediscas sapere, quod sibi illi magno sudore comparârunt. Et quoniam non semper sunt ad manum vivi, quos consulas, age frequenter cum mortuis Virorum in quam eruditorum, post mortem superstitum libros oculis, & manibûs tere, ex quorum lucernis lumen accipias: seu lectioni incumbe, id Timotheum, licet Episcopum atq; Doctorē monet Apostolus.* Attende inquit tibi & doctrinæ, insta in illis, hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.

In arduis ergo & magni momenti rebus ut in negotio propriæ proximorumq; salutis viri justi & timorati alii ipsum DEUM consulebant, ut ille Juvenis Lucæ *10.* Magister quid faciendo vitam æternam possidebo. *S. Nicolaus factus Presbyter Sæcularis, cum in secretiorem aliquando locum sese orandi contemplandiq; gratia (uti consueverat) recepisset, cogitando potiùs tranquillam in aliquo Monasterio, quàm in mundo periculosam ducere vitam. Vox eum de Cælo alloquitur:* Nicolae ad mundi palæstram tibi redeundum

est,

est, si meam coronam expetis. *His verbis exterrito, cogitantiq; quid nam vox ista portenderet? iterum vox eadem acriùs intonuit.* Nicolae non non hic est ager, in quo fructum quem ex te flagito proferas. Ad homines redi, ut in te Nomen clarificetur meum. *Tunc hac voce Nicolaus plane sibi imperatum à DEO intelligit, nam relicto otiô ad proferendum miseris mortalibus salutis fructum, totum se obtulit. Forsan non unus vestrum etiam jam factus Presbyter Sacularis timens scandala mundi, cogitat conturbatus de capessendo alicujus Religionis instituto? In qua vocatione vocatus es, in ea hilariter permane voluit DEUS ut hunc vita statum amplecteris, tua tibi sors placeat, acquiesce Divina Voluntati, nam inquit* D. CHRYSOSTOMUS: Nulla res DEO gratior est, quàm ut universam vitam ad commune commodum conferas. *Secede quotidie in Religionem non pedibus, sed piis affectibûs, non corpore, sed mentali oratione. Vota tua redde Domino devota, proposita serva monita etiam piorum & prudentum Confessariorum non negligas. Nbservatio enim mandatorum, Sacramentorum usus, maximè Pœnitentia & Eucharistia, virtutum & bonorum operum praxis sunt tutissima via ad DEUM. S. Nicolaus cùm ad-*

verte-

verteret de singulis sibi subditis, reddendum esse rationem, animô incredibili angebatur, atq; sæpiùs ob id cum verbis lachrymas effundisset, vocem tandem audivit de Cælo in hæc verba: Ne timeas Nicolae, ut à me mea negotia fideliter gerens, ingratè destituaris. *Hac voce maximè recreatus, spem in DEUM conjiciens, ab illo opem sibi pollicebatur. Nihil est, quod & me, & non unum vestrûm magis terreat quàm cura animarum, difficile est propriam, tantò magis plurimorum curæ Pastorali subjectorum salvare animas. Quotidiana precatione auxilium à Domino invocandum, benè & fideliter omnium functionū munus obeundum, & facienti quod ex se est DEUS non denegabit gratiam. Habens igitur modos rectos dubiis in rebus tibi prospiciendi, spero te illos non neglecturum. Nam qui agunt omnia cum consilio, reguntur Sapientia Prov*erb: *13. Neq; renues dare sanum consilium petentibus, arguit enim D.* Ambrosius. Quid tibi propest habere sapientiam? si consiliū neges? *Hac spe fretus quidam videns te pietate, & literis præstare indefectum vivæ fidei rogat proponi sibi motiva credibilitatis. Ea motiva propter te & illum sequenti includo syllogismo. Illa sola Religio & vera & in suis dogmatibus infallibilis, quæ ad perfectionem*

vitæ ducit, & licentiam peccandi excludit, & plurimos Sanctos omnibus sæculis habuit, & plurimis miraculis claruit, & Gentes semper convertit, & semper habita & dicta est Catholica, & summam habet Doctorum omnium circa fidei capita consensionem, facileque controversias finit, sed sola Religio Romana Catholica est talis. Ergo illa sola est vera. Econtra illa Religio est falsa, quæ 1mò nova est, 2dò successione Ministrorum ab Apostolis caret 3tiò inducta est ab iis qui legitimè missi non sunt. 4tò Nullis miraculis confirmata. 5tò inducta ab hominibus. Malæ vitæ, & infamia notatis 6tò habet Authores in doctrina valde inconstantes erroneos, sibi ipsis contradicentes, dolo fraudibus, & mendaciis utentes ut suam religionem propagent. 7mò Quæ omne studium bonorum operum tollit, sed licentiam vitæ tribuit. 8vò antiquas hæreses renovat. 9nò Nullam certam credendi regulam habet. 10mò Multa secum adfert absurda, sed aliæ Religiones, ut Luterana Calvinistica &c. sunt tales. Ergo sunt falsæ major est certa minorem evidenter probant in libello cui titulus: Quæ fides capessenda Lessius ut nec biscere adversari possint. Brevius audi loquentem Apostolum ad Eph: 4. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Site & tibi similes, mente

vages

vagos, nondum hac omnia perfectè pacificant, audite verberantia vestram incredulitatem Salvatoris verba. O ſtulti & tardi corde ad credendum Lucæ 24.

Venit alter magno cum gemitu & ait: Pater mi Reverende, audiens in Concione illa verba Salvatoris: Multi ſunt vocati, pauci verò electi Math: 20. *Multum inde consternatus peto consilium utrum ego ſim de numero Electorum an reproborum?* ℟. imò *cum Ecclesiastico Cap: 9.* Neſcit homo utrum odiô an amore dignus ſit, ſed omnia infuturo reſervatur incerta. *proinde*: cum timore & tremore operare ſalutem tuam. *Procedit consulens: rogo tamen enixè: quid ſentis de mea prædestinatione;* ℟. 2dò *Consultor:* Eo ipſo *ſpera quia es prædestinatus cum ſoleas adeſſe Concionibus. Nam* S. AUGUSTINUS *Lib: 2. de prædestinatione Sanct. C. 25. ait:* Sicut nullum majus ſignum æternæ prædeſtinationis eſt, quàm libenter audire Verbum DEI, ſic nullum majus ſignum æternæ reprobationis quàm nolle audire Verbum DEI, *Prosequitur consulens, ſed tamen mea ſpe removet, quòd alio in loco dixerat Salvator. Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Ego audio multa, ſed pauca vel nulla obſervo. ℟. 3tiò *Consultor. Ergo*

tu es quasi surdaster cum audis & non obedis. Intendit consulens: Miserere mei Pater ne desperabundus à te recedam consolare me, forsan enim sunt & alia signa prædestinationis ℟. *Consultor sunt in Discipulo, certa quidem sed certitudine morali non Divina, sequentia:* 1mum *signum prædestinationis est adversitas in hoc mundo, scilicet: pati patienter infirmitatem corporis, & paupertatem rerũ.* Apoc: 3. Ego quos amo, arguo, & castigo. *Continua prosperitas in rebus, in sanitate corporis, in honore & fortuna est malum signum. Unde* Greg: Continuus successus rerum temporalium, æternæ damnationis est indicium. 2dum *signum est, si quis DEUM honorat & glorificat.* Qui me elucidant vitam æternam habebunt *Eccl:* 24. 3tium *signum prædestinationis est, humilitas.* Greg: Evidentissimum signum reproborum est superbia, electorum verò humilitas. 4tum *signum prædestinationis est quando quis non libenter audit mala loqui de proximis.* 5tum *signum prædestinationis est cùm quis compassivus est & misericors.* Math: 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam conseqventur. 6tum *signum est injurias faciliter dimittere. Nulla enim virtus tam celeriter DEO reconciliat, & peccata relaxat, sicut lædentibus, &*

injuriantibus fore placabilem Math: 6. Si dimiseritis proximis ex cordibus vestris, & Pater vester dimittet vobis peccata vestra. 7mum *signum prædestinationis est, si quis cupit melior fieri in verbis, in factis, & moribus.* Math: 5. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam. *ubi dicit Gloss: Ordinar.* Esurire & sitire justitiam est semper habere desiderium proficiendi. *Sed quando homo incipit tepescere, & de mane diu dormire, & breve est sibi tempus sedere in tabernis & potare, sed in his quæ DEI sunt habet tædium, hoc est malum signnm.* 8vum *signum prædestinationis est: Cùm quis mortem Christi & Passionem Ejus, frequenter & libenter meditatur:* Nil tam salutiferum nobis esse comperi, quàm quotidie cogitare quanta pro nobis pertulit DEUS & homo. S. AUG: *Serm: 2. ad Fratres in eremo. Hæc sunt signa prædestinationis per quæ quis conjecturaliter cognoscere potest an sit prædestinatus, an proscriptus,* R.P. Mathias Faber *Octo beatitudines signa prædestinationis appellavit. Ejus modi signa prædestinationis suppeditat suavissimus Præsul* D. BERNARDUS. Qui peccato non servit, qui dignos Pœnitentiæ fructus agit, qui DEI Verbo delectatur, qui DEUM diligit & proximum is meritò confidit, se ad æternam vitam esse prædestinatum.

Q. *Studioſus modica horum in me reperio. & quidem imperfectè adimpleta. Unde contriſtatus, & conturbatus à te Venerande Condiſcipule recedo.* ℞. *Condiſcipulus Te & Vos omnes quotquot eſtis Studioſi animæ veſtræ erigit in ſpem* D. PETRUS 2. *Petr:* 1. Quapropter Fratres magìs ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. *Si verò aliquis veſtrûm jamjam aproximans morti triſtatur & angitur quòd tota die ſeu toto vitæ tempore otioſus ſtabat, nullum progreſſum in virtutibus & bonis operibus faciendo, talis juxta conſilium S. Jacobi, oret ore & corde Davidis pœnitentis.* Miſere mei DEUS ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. *Ultimo arripiat Imaginem Crucifixi, ſtringat pedes ejus, & magno ejulatu deploret vitam otioſam.*

REx tremende Majeſtatis
Qui ſalvandos ſalvas gratis
Salva me fons pietatis.
Recordare JESU pie
Quod ſum cauſa tuæ viæ
Ne me perdas illa die.
Quærens me ſediſti laſſus
Redemiſti Crucem paſſus
Tantus labor non ſit caſſus.

Venit tertiò confitendi & consulendi gratia Scrupulosus Benedicite Pater. *Confessarius* Dominus sit in corde tuo &c. *Scrupulosus* Confiteor DEO Omnipotenti &c. *Post Confessionem factam ab octo diebus pœnitentiam absovi, cogitationes articulis fidei repugnantes habui & blasphemas, item &c. Item &c. Item &c. Item &c. Confessarius interrogat quis tu es? ℟. Diaconus sum, Confessarius dicit in satisfactionem tam multorum peccatorum recitabis Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis de OO. Sanctis & Orationibus. Diaconus magna pœnitentia. Confessarius pro mensura peccati debet esse & plagarum modus. Diaconus nunc incumbo lectioni Theogiæ Moralis, tempus non habeo prolixiùs orandi. Confessarius dices ergo Matutinum cum laudibus flexô poplite. Quoniam autem imminet tibi examen, ideo leges Theologiam* P. Ochm *seu* Januszowski *Ord: Præd. invenies copiosam materiam de scrupulis, proderit ad examen, item tuæ, tuorumq; pænitentium conscientiæ. Diaconus. Desidero tamen ex ore tuo Pater mi, audire actuale consilium. Confessarius. Huic malo mederi non difficile, modo ægri capiant medentis dicta & sequantur.* Imò *ante omnia qui eò modò tentatur sciat verba tam impia, cogitationes illas tam nefandas,*

das, non esse suas sed diaboli, & ideo non curandas. Prudenter Climacus *præceptiunculas salutares instillans. Non solent eos diaboli oppugnare inquit, qui non dimicant cum ipsis. Magno sit solatio si hac de re interrogatus; nunc illæ cogitationes illi placeant; animô possit dicere: Extreme displicent, & odi, & arceo, hic salva res. Non igitur mi Venerabilis metuas ne tibi ista noceant, si tibi tantopere displiceant. Confessarius, tunde pectus. Diaconus* Deus propitius esto mihi maximo peccatori. *Confessarius* Misereatur tui Omnipotens Deus &c. 4tò *Venit Studiosus salutis Presbyter villanus ad Condiscipulum & ut amico confidenter in discursu familiari aperit intima cordis. Non pridem sum Parochus, & jam tædet animam meam vitæ meæ, bene quidam dixit.* Rus Sacerdotum infernus. *Condiscipulus quid dicis Pater? mihi videtur quod sit Paradisus, ibi enim pomaria, prata amenis consita floribus, oves & boves, insuper & pecora campi vestris subjecta pedibus. Rogo ob quam causam appellasti infernum ℞. Quia à temporalibus negotiis conturbor, continuis vexor mœroribûs, & peccatorum tumultibus. Condiscipulus. Quia familiæ Plebanali praeesse nescis, quamvis habeas informationem in regula vitæ Num: 26. Regimen*

etiam

etiam in temporalibus ex veterano aliquo scrutare Parocho. Peccatorum autem multitudo, adeo tibi occurrit quia semper de peccatis cogitas: Annos igitur æternos in mente habeto. *Deinde sic consulit tibi* D. HIERONYM: Aliquid operis facito ut te diabolus inveniat occupatum, non enim facile capitur à diabolo qui bono vacat exercitio. *Studiosus: Enumera mihi has occupationes, ut innumeras ex otio, tædio & ex complexione frigida, melancholia, & timida, evadam animi perplexitates. Condiscipulus. Non desum voto tuo, suggero sequentes occupationes.*

ima *est Regulæ vitæ continua observatio.* 2da *Ingeritur à Christo* Lucæ 18. Oportet semper orare, & nunquam deficere. *Laurentius Justini: Lib: de Agone Christi Cap:* 6. Mens si quando Oratione neglecta, cæpit à sua custodia dormitare repente cupiditatibus frena laxantur, & immundis cogitationibus aditus reseratur. 3tia. *Sacrificium Divinum quotidiè celebratum, Apostolicum hunc esse Spiritum & morem. S. Andreas Apostolus, cùm ab Ægea Tyranno urgeretur ut Diis sacrificaret, respondit: Ego Omnipotenti DEO qui unus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, sed Agnum immaculatum. Tu infirmitate aut incommoditate ali-*

quando

quando præpeditus, pia ejus auditione cum rememoratione Passionis Christi occupaberis. Joannes enim Heroldt, qui se ex humilitate Discipulum vocitavit, in quodam sermone sic agit. Qui Missam audit prosperabitur in illa die in laboribus in artificio, in emptionibus in peregrinationibus, & Dominus confortat eum in corpore & in anima. 4tò. *Actus amoris DEI frequenter in die eliciti, per effectuosas aspirationes, supramemoratus. Nunquam enim (inquit Hier.°) DEI amor otiosus est. operatur enim magna si est. Hic operabatur in B. J. Cantio excellentiam virtutum operumq́ misericordiæ frequentiam, rerum Cœlestium contemplationes, in cruenti Sacrificii profusis lachrymis quotidianam oblationem. Hic non tam pedibûs, quàm ardentibus in Christum Passum affectibûs evolabat in terram Sanctam, quæ vestigiis ejus Divinis consecrata est.* 5ta *Præparatio ad Confessionem ne fiat Sacrilega, ad Missam, nam non cum fervore, sed cum nocivo torpore celebraretur. Ad concionandum, qui enim vult benè fari, debet prius præmeditari. Ad Cathesim, nam hic magis verbis alligari oportet, quàm sensui & cultæ elocutioni.* 6ta. *Visitatio locorum Sacrorum, sic* D. HIERONYMUS *Religionis causa visitavit Christi Domini incunabula, totamq́*

lustra-

lustravit Palæstinam. Te si impedit Pastoralis solicitudo, excitet ad meditandum hoc Mysterium Divini amoris teneritudo. Pro Hierosolyma, habes forsan ad tuam vel proximam Ecclesiam Stationes introductas, ibi frequenter siste Viator, respice in faciem Christi tui pia recollectione & mereberis respectum. Visita Ecclesias in quibus indulgentiæ Quadraginta horarum peraguntur, ora, labora, in excipiendis Cofessionibus, & dinumerabuntur ut Sancti Prophetæ gressus tui. 7mo. extirpatio vitiorum, ne tibi zelose invehenti in aliorum mores objiciatur: Ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo Fratris tui. Qui se autem à vitiis abnegat exquirendæ sunt ei virtutes, in quibus crescat inquit Vene: Beda. 8va occupatio datur nobis à S. Leone Papa à qua etiam semet ipsum non excepit. Studeamus viduarum defensioni, pupillorum utilitati, lugentium consolationi, dissidentium paci. Suscipiatur peregrinus, adjuvetur oppressus, vestiatur nudus, foveatur ægrotus, ut quicunq; nostrûm de justis laboribus Auctori bonorum omnium DEO Sacrificium hujus pietatis obtulerit, ab eodem Regni Cælestis præmium percipere mereatur. 9na. Forsan cùm adhuc esses

adole-

adolescens, Nomen dedisti alicui Confraternitati v. g. Sacro Scapulari piamq; obligationem suscepisti, cui ut constanter facias, sequens impellit ratio sive Privilegium. Nam B. V. MARIA cùm ubiq; & potentia & misericordia plurimùm valeat Filios in Scapularis Societatem relatos, qui abstinentiam modicam, precesq; paucas ejus præscriptas frequentârunt, ac pro sui statûs ratione castitatem coluerunt Materno planè affectu dum igne purgatorii expiantur solari, ac in Cælestem Patriam obtentu suo quàn totius piè creditur efferre. 10ma. *Exercitium in cantu Chorali, vel si illum calles, usus ejus sit continuus, quoniam talem adhibere jubet Propheta:* Psallite Domino sapienter *Adm. Rndus* Joannes Turowiecki *Vicarius Archipresbyteralis B. V. M. in Circulo Cracoviensi, à natura & arte rara cantus suavitate expolitus, intonata ante obitum Antiphona:* Salve Regina, *& os & ultimum clausit diem. Servite ergo Domino & Matri Ejus in timore, & exultate cum tremore. nam inquit Augustinus:* Qualis vita mors erit ita. 11ma. *Præsens studium pulchritudinis internæ, & externæ, cui modò omnibus virtutibus incumbas, certifico te, in Domino, quia:* pulchritudo & decor *abhinc* erit

indumentum tuum, *quamobrem*: eris dilectus Deo & hominibus. 12ma. *Lectio Ritualis Sacramentorum ac aliarum Ecclesiæ Ceremoniarum. Item lectio piorum Librorum. Satis acerbè luxit* S. Hieronymus *nimium profanæ lectionis aviditatem & Spiritualis neglectum. Cum subitò raptus in Spiritu ad Tribunal Christi, ubi interrogatus de conditione, Christianum se esse respondit. At ille qui præsidebat*: Mentiris *ait*: Ciceronianus es tu non Christianus, *illicò obmutui & inter verbera (nam cædi me jusserat) clamare cæpi, & ejulans dicere*: Miserere mei Deus, miserere mei. *Cautus igitur probusque Studiosus ita suas moderabitur lectiones, ne olim livido tergô resolvere cogatur minerval. Imitabitur proinde Æthiopum Reginæ Ministrum, qui Act: 8 Hierosolymâ rediens Sacra Isaiæ Prophetæ lectione se distrahebat, meruitque legendo, quod non obtinuit orando Apostolum Philippum habere Fidei & Salutis Magistrum. Reflex: Philippus interrogabat eum*: intelligisne quæ legis? *ait*: quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi. *Lege cum Socio Caput Sacræ Scripturæ aut Theologiæ, confer cum illo, vel solus vide regestrum Libri Theologici, assume unum Alphabetum, recollige si has nosti quæstiones quæ tibi Author opponit, notas*

omitte, ignotarum verò folia quære, doce te ipsum, & tunc primùm experieris viritatem cujus scientiæ es? facileq; inferes, quomodò in examine ad obtinendam approbationem vel Parochiam respondebis. Lege quoq; frequenter cæremonias Missæ, & Sacramentorum. 13tio. *Vide in Libro Monita Generalia à folio 129. luculentas, prudentes, & pias occupationes.* 14to. *Exercitatur Clerus in Congregationibus per Resolutiones Theologicarum Quæstionum.* 15to. *Erectionem tui Beneficii & varia munimenta ad illud spectantia revide, erige animum ad vindicationem agrorum, censuum; obligasti enim te cum jurasti. Hanc obligationem non præsetulerat p. d. Illustris Magister* Adalbertus Topieński *Baccalaureus Sacræ Theologiæ, Præpositus Ecclesiæ S. NICOLAI, cujus munimenta sero revidens & relegens longo temporum tractu intermissam & neglectam Confraternitatem S. ANNÆ in Romano Authentico pargameno adinvenit, zelôq; pietatis motus Annô Dñi 1713 Die 24. Junii Parochianos convocavit, primamq; Officialium Electionem (ut constat in antiquiori Albo ejusdem Confraternitatis) fieri sollicitè curavit. Deinde summam Capitalem mille florenorum super Bonis* Kowáry *locaverat pro decantanda Missa Votiva singulis Feriis tertiis per annum, & in*

Villa Regia super aliquibus sulcis minores summas inscripsit. Habuit succedaneum in eandem Præposituram Fratrem germanum Perillustrem Clarissimum M. Gasparum Topinski U. J. Doctorem, Collegiatæ SS. Omniũ Custodem, certè non otiosum sed Ecclesiæ huic benè & solicitè Præpositum. Nam sicut Magi de thesauris suis Mysticas Domino munerum species obtulerunt, ita & ille quæ DEO erant digna, de toto corde suo quomodo promiserat; audiamus. Satagebat ille ut non solùm privatim recitaretur, sed etiam à populo decantaretur Corona de S. ANNA. in qua memorantur mysteria Passionis Domini, & dolores B. V. MARIÆ Huic devotioni ex zelo pietatis solus per aliquot Menses præsidebat. Promotorem agens, taliq; exemplô congregabat populum, vocabat cœtum, ut juvenes, & virgines Senes cum junioribus laudarent Nomen Domini, ut autem & in posterum resonet laus Dei in Cultu S. ANNÆ, auxit Fundationes. Perhorrescens quoq; muneris sui Pastoralis strictum in tremendo Judicio examen, ut bonus solicitusq; Pastor non solùm per Vicarios pabulo Verbi DEI pascebat Oves, sed in aliquibus Festis Primæ Classis, in omnibus verò Dominicis Adventûs solus quò advixit prædicabat. Erga miserabiles personas Paterno ferebatur

affectu

affectu, iis enim gravi necessita pressis multum dabat nihil inde sperans, nisi æternam in Cælo remunerationem. Tempore famis segetem infamelicos seminabat. Singulis Feriis Quartis pauperibus undequaq; venientibus ad Ecclesiam post Missam Primariam eleemosinam proprius distribuebat manibûs. Pii Regis Stephani larga in egenos dextra post mortem tota reperta est, ipse etiam cum se totum DEO & proximorum charitati devovisset post annos 20 obitûs sui Annô Dñi 1756. Mense Martiô sub revisione sepulchrorum ad faciendas exequias ossibus defunctorum iterum sepeliendis, integer repertus est. Hæc domestica exempla de primo fide digni ædiles mihi narraverunt, de altero quod oculis meis vidi & perspexi, retuli fideliter. Si autem occupationum mearum relationem avidè expectatis? audeo dicere, plus aliis laboravi: in concionando, cathechisando, libros pios in lucem edendo; ast non ego, sed Gratia DEI mecum. Quoniam exiguos labores nostrs in Vinea sua Paterfamilias noster Christus jugum suave & onus leve appellaverit, ideò audituros evoco ad discursum de Recreatione ibi etiam audietis quibûs modis recreabar. Post continuum studium, & laboriosas occupationes sequitur Recereatio. Quemadmodum enim Sagittarius

non

non semper habet arcum extensum, quia alias frangeretur, ita si mens & corpus continuò fatigaretur labore, grave traherent in se nocumentum. Unde benè unus Sapientum sequens reliquit consilium. Detur aliquando otium quiesq; fessis. Non abs re in Claustris & Seminariis bis in diem datur quies & recreatio ne mens gravata & sibi & corpori afferat nocumentum.

Primus *ergo Modus post labores recreandi mentem & corpus est otium, quod ad breve tempus concedit Joannes Cassianus in Epistola sua sic scribens:* Otium præcipuè subnecti debet non quô evanescit virtus, sed quô recreatur. 2dus *est lusus non alearum, nam Clericis & Religiosis Jure Canonico prohibitus est. Non damnantur hoc ævô saltim communiter chartifoliorum ludi, si ad recreationem mentis fiant, & non diu nimis continuentur. Neq; unquam pecuniæ apponantur ne sequantur perjuria & penuria.* 3tius & 4tus *Modus ab exemplo Socratis,* qui lepore & humanitate vincebat. *Ad jocos ut sint acceptabiles quinque requirentur.*

1. Ut sint honesti & congruentes tempori & loco. 2. Alius Sæculares, alius Sacerdotem, alius Monachum decet jocus. 3. Ne sit mordax. 4. Usivus sit sed non abusivus Sa-

cræ

cræ Scripturæ. 5. *Ne sub illis totaliter gravitas animæ resolvatur.* S. MARTINUS *Episcopus videns ovem tonsam, solitus erat dicere.* Implevit Evangelicum præceptum duas tunicas habuit, dedit unam non habenti. *Cùm autem prospiceret Armentarium in melote, ajebat.* Ecce Adam de Paradiso ejectus. *S. Paulus forsan melancholicis consulebat.* Semper gaudete sine intermissione orate. *S. Franciscus cernens aliquem ex Religiosis tristem dicebat illi: Vade Frater confitere & pete:* Redde mihi Domine lætitiam salutaris tui. *Forsan hucusq; amasti hospitales, & aquæ dulciores erant tibi in alieno puteo, sed solus in hospites, si & parcus & austerus extitisti, erubesce, attamen parco tuæ ignorantiæ, quia spero non legisti sequens Consilium* D. PETRI: Hospitales estote invicem sine murmuratione. *1. Petri. 4. 5. Studium Linguæ Germanicæ, Gallicæ, ecce enim hanc ob rationem multi ascendunt honores, venantur favores, per utiles Pœnitentiariis. 6. Puer pauper assumatur ad obsequia, erudiatur legere, scribere. Detur postea ad Religionis, vel aulæ ad chirurgum, coquum, erudiendus, habebis meritum à DEO, servum etiam tibi obsequentem, fidelem, barbitonsorem etiam & coqvum, tuo statui competentem. 7. Vos vos*

tristes

triſtes & melancholici. Reſpicite volatilia Cæli, pellunt enim illa mærorem animi cantu ſuo naturali vario & mirifico, quem exhibent partim in ſylvis, partim in caveis incluſæ pro pabulo ſibi exhibito. 8. Audiſti extare aliquem librum pulchrum ſeu devotum vel doctum, non habes pecuniam vel alacbritatem expendendi, accomoda illum, papyrum eme 12 groſſis, calamum gratis Scholaris Abecedarius offeret, atramentarium habes adhuc ſcholaſticum, pro atramento jam tibi quercus detrudit globulos, facile illud præparabis. Crede autem mihi ſi attentè legeris, mundè ſpecialiora notaveris in papyro, in animo etiam tuo ſi non omnia verba, certè plurimos ſenſus exaratos videns, gaudebis. Fac etiam verſus polonico vel latino idiomate, cum conceptibus & Chriſtiana pietate. S. Caſimirus Hymnum de Beatiſſima Virg. MARIA compoſuit, & quotidie recitare ſolitus fuit, tantaq; devotione coluit, ut etiam ſepeliri ſecum voluerit, prout Annô 1614. quando Sancti illius Sepulchrum renovabatur, ſub ejus dextro capitis tempore repertus fuit intactus, inſignû acceptæ DEO & Deiparæ pietatis. 9no. Si tædium offert domeſtica ſolitudo, adeas amicum. Quemcunq; cognoveris obſervantem timorem Dei, aſſiduus eſto illi *Eccl: 37. S. Antonius DEI admonitu inviſit Paulum*

primum

primum Eremitam, quibus inter se multa de Regno DEI colloquentibus, Corvus qui antea semper Paulo dimidiatum panem attulerat, integrum detulit.

10. *Regius Propheta, quia dilexit decorem Domûs DEI, ideo Vir secundùm cor Ejus factus est, & tu frequenter ascende in Templum ex mensis pulverem araneasq; expelles. Ornabis Altaria vere & æstate floribus naturalibûs, artem collocandi illos videbis in aliqua Ecclesia Religiosa. In hyeme vel novos papyratos eme, aut veteres resolves, & propria induriâ novos æquales tuis manibûs efficies. Divinis Sanctorumq; aris obsequium & ornamentum præstabis. Unde habebis meritum, accendes in tepidis & simplicibus reverentiam DEI, & loci Sacri, fervorem pietatis, & providam in populo erga te ipsum benevolentiam.* Quò plus enim in ejus amorem profeceris eo plures invenies, qui te interno suscipere affectu, & suis valeant sustentare substantiis, *ita pollicetur Venerabilis Beda.*

11mo. Somnus *Noctes laboriosas enumerat Job, quia repletus erat doloribus. Laboriosas & tædiosas noctes peragunt, qui dormire non possut, & nullam recreationem mentis habent.* Beatus autem Vir (*inquit Psaltes*) qui in lege Domini meditatur die ac nocte. S. Am-

BRO-

BROSIUS *in laudem B. V. MARIÆ scribens, inquit:* Dormire non priùs cupiditas, quàm necessitas fuit: & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat. *Dulcis consequetur talem recreationem somnus, sine quo & cor mærens, & corpus languidum etiam ad officia Spiritualia.*

12 Via *quæ si brevior, erit quoq; hilarior. agitatio enim causat sanitatem. Longioris autem levabit molestias,* imo. *Comes facundus, modo sit in Domino jucundus. Item devotæ Cantilenæ* v. g. *Psalmi vel Officii de Immaculata Coceptione B. V. M. vel Pœanis:* O Gloriosa Domina, *qualem usurpat S. Antonius Padvanus. Talium harmonia est cum insigni merito.* In revelatione enim S. Brigittæ Lib: 4. Cap: 32. Deipara Virgo dixit eidem de quodam, qui devoto cantu eam laudare solebat; Dic illi: DEO placet coronas in Cælo dare ipsi pro qualibet syllaba quæ est in cantu, & dicetur de eo, quando Cælum gloriosus ingredietur: Ecce venit laudator. *Ex enumeratis recreationibus, quibus ego indignus Condiscipulus vester utebar, (sicut promiseram) aliquas notas*

vobis facio. Imo. *Ad imitationem S. Francisci singulis annis recurrente memoria Nativitatis D. N. J. C. Cunabula Infantiæ ejus cum omnibus personis ad id spectantibus, oculis fidelium exponebam. Et veniebant alii* gaudentes in honorem Dei *Baruch: 3. ℣. 37. Alii ut Sanctus Augustinus cum amabili admiratione intuentes, dicebant:* O gratissimi delectabilesq; vagitus per quos stridores dentium, æternosq; ploratus evasimus. 2dô. *Hortatur* D. Petrus *Princeps noster 1. Petr: 7.* Hospitales estote invicem sine murmuratione. *Erat mihi semper talis animus, sed deerat sufficiens proventus. Conveniebam tamen cum Consilio Evangelistæ Mat: 10. ℣. 42.* Quicunq; dederit calicem aquæ frigidæ non perdet mercedem suam. *Sequebar & illam voluntatem Christi Matt: 18. ℣. 6.* qui susceperit unum parvulum in Nomine meo me suscepit. *Etenim convocabam cœtum Puerorum, quibus ego in Dominicis doctrinam Cathechisticam, tum varia munuscula impendebam, illi aures præbebant ad audiendũ, labia ad orandum & cantandum coram Imagine Passionis Domini, finitis Scholis pomeridianis. Nam cum sim Vir pollutus labiis & in medio populi polluta labia habentis habitem, speravi quia ex ore infantium & la-*

ctentium perficiet Dominus laudem suam, & non destruet me inimicum suum quia peccatorem. *Neq; me denegabam hospitalem sub solennibus devotionibus laborantibus in prædicatione Verbi Dei, memor enim eram,* quia dignus operarius mercede sua. 3tio. *Ecclesiasticus advertens me ex continua solitudine melancholicum, talem adinvenit mihi recreationem.* Congregationi pauperum affabilem te facit. *Stabilem ergo aliquando in limine Domus Vicarialis, & occurrentem elemosynamq; petentem pauperem interrogavi ex doctrina Cathechistica & Symbolo: & multi jucundam divagationem mentis in me excitârunt propter mutationem tum additionem aliquorum verborum.* 4to. *Per manus pueri oblati mihi ad educationem frequenter egenis mittebam subsidium, semel tædio an inani super mea expensa motus cum admiratione, dixit, cum laceris hominibus dat pecuniam, neq; aliquid suæ Reverentiæ offerunt, neq; inserviunt. Respondi: disces postea & dicit causam factus post plures annos Presbyter:* Quia elemosyna liberat à malis, & facit invenire misericordiam. 5to. *Multa propria manu scripsi: Ut colligendo speciales sententias ex Polyanthea Concionum à me per annos 37. prædicatarum numeravi sexterniones*

250. quos pro 100. obligationibus cum omni alacbritate quidam Vicarius acceperat. Materias ex variis Authoribus, ad libellos, tum jam editos tum edendos copiosè notabam. Plurima etiam alia solus scripseram, tum per alios (mercede oblata) perscribi feceram, Ut materias de Passione Domini ex Patre Joseph Speranze. Item Florilegio sub principalibus Titulis floridiores sententias. Item Librum: Pámiatká Pásterskiego áffektu perscribi feci. Annum Cælestem Polonicum totū perlegi, collegi, & ad Regestrum redegi. Et alia multa legi & perfeci pro gloria DEI, Honore B.M.V. & S. ANNÆ ac decore Confraternitatis ejus, quæ omnia non ego, Christus Dominus operatus est in me. Nam ut inquit S. Aug: Sive parum sive multum, sine Illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. 6tò. De piacularibus flammis legendo pia motus commiseratione statui singulis Quartualibus post Missam cantatam de Requiem exhortari populum cum S. Chrisostomo. Juvate mortuum non lachrymis, sed precibus, devotione, eleemosynis, quod ut cum certiore effectu fiat, jussi depingi purgatorium, sed priùs solus in purgatorium incidi nam cum retardaret pictor pro certo tempore conductus, adii eum ut in præsentia mea serio

conti-

continuaret, venit uxor ejus bene pota, & rixabatur cum eo, tandem malitiosè & vascula cum coloribus ex mensa detrusit, iratus colaphum impegit pugnoq; totundit. Illa retrospiciens dixit, sedet sua Reverentia sicut truncus, & me non defendit. Respondi si mihi liceret non defenderem, sed adjuvarem in percutiendo, hoc dicto aufugi. S. Paulus enumeratis laboribus revelationibus Domini & patientia in multis ærumnis conclusit. Gratia DEI id sum quod sum & gratia ejus in me vacua non fuit. *Unde & nos suos cooperatores exhortatur:* ne in vacuum gratiam DEI recipiamus. *Quod explicans Primasius inquit:* Qui cum DEI gratia non laborat, in vacuum gratiam DEI recipit, nec adjungit studium suum ut possit DEI præcepta ipso adjutore implere. *Profectus & meus ulterior scilicet cura nitoris Domûs DEI solicitudo cultûs Divini, & salutis animarum, non tantùm in prædicatione Verbi DEI, sed etiam impressione piorum librorum donum DEI fuerat. Pro me igitur nihil glorior, nisi in infirmitatibus meis.*

Habentes igitur occupationes & Recreationes justas & honestas, cavete occupationem aliquam pessimam hujus Mundi propter quam Salomon dubiam reliquit animæ suæ salutem.

Studiosus

Studiosus. *O Condiscipule! ulcus mihi tetigisti cum Salomonem commemorasti, & ego inter scandala bujus Mundi vivens valde mihi timeo ne ruam in mortem animæ vel opprobrium famæ.* ℟. *Salomon quam diu habuit Occupationes pias & honestas, ut ædificando Templum magnificum, item Palatium Regium, fuit Rex omni æstimatione dignus, ast postquam perniciosum assampsit otium, & fama, & pia vitâ destitutus est.* Studiosus. *Audivi quia per mulieres depravatum est cor Salomonis, certè & ego ex Seminario virtutum egressus, & reverens periculum, solicitè sanum Consilium à te exquiro. Num ad gubernium Familiæ domesticæ, & meum obsequium fœminam aliquam assumpturus sum, vel non?* ℟. *Rem perplexam Studiose puritatis mihi proposuisti, attamen sic pacifico: Si tibi sunt oves & boves, ad horum gubernium Paterfamilias cum sua provecta uxore panifica permittitur; ad intima verò & propria tua obsequia, Servum non ancillam adhibeto. Si durus sum tibi nuntius audi ad tuam quæstionem respondentem. S. Hieron: in Epist: ad Nepotē.* Hospitiolum tuum, aut raro aut nunquam mulierum pedes terant. *Omnes puellas, aut Virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Vide ne sub eodem tecto*

manseris, nec præterita castitati confidas, nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior. S. Cyprianus toto illo libello aureo quem de singularitate Clericorum inscripsit, gravissimis querellis acerrimisq; verbis nos admonet, alterius Sexûs consortium, velut contagium devitare. Ait ille: De carbonibus scintillæ dissiliunt de ferro rubigo nutritur, de vestimentis procedit tinea, de muliere peccati aculeus, sybillus concupiscentiæ, fomes pestilentiæ. *Sicut cum pestifero magnum est periculum loqui, majus dare manum ad salutationem, ita ex nimia familiaritate bonum est mulierem non tangere,* nam etiamsi manus ad manum fuerit (*inquit Scriptura* Prov: *16. ỽ. 5.*) jam non est innocens. *Habent voces suas derivationes & compositiones:* v.g. *separa syllabas hujus nominis fœmina, erit fæ mina, fæ. quasi à fetore derivatur, mina significat polonicè* grożbą *certè fœmina minatur suis amasiis ruinam gratiæ Dei, famem & sæpe privationem Beneficii Ecclesiastici. Bene antiquus Poëtarum definivit fæminam esse* saccum stercorum, *forsan ex causa hujus definitionis, S. Bernar. Sororem suam appellavit:* stercus floribus contectum. *Et vos cum Jeremia Propheta in magna Hebdomada lamentamini super*

stulti-

stultitia illorum, qui vescebantur voluptuosè, nutriebantur in croceis: quia amplexati sunt stercora *Thr. 7. ℣. 5.* Studiosus. *Ego legi, quod S. Bernardus exiit ad Sororem suam & colloquebatur ei in porta Religiosa.* ℟. *Exiit, sed priùs audivit ob tantam sui abjectionem nimis plorantem & dicentem:* Si Frater detestatur me ut peccatricem, non dedignetur abhinc jam verè pœnitentem.

Unde ex ejus salutari consilio, Monialis postea facta est Hospitabatur Elias Propheta sed apud pauperem spiritu & fortuna Sareptam Viduam. Loquebatur *Christus cum Muliere Samaritana, sed pro ejus conversione ad fidem & pœnitentiam. Ministrabant aliquando Discipulis Christi Mulieres, ut legitur in Actis Apostolorum & postea non nullis Viris Apostolicis. Ast semper observabatur illud monitum D. Pauli 1. Thimoth: 5.* Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, in operibus bonis testimonium habens, *ipsi etiam electores talis obsequii erant viri pleni gratiâ & fortitudine, qui jam crucifixerunt carnem suam cum vitiis & concupiscentiis.* Studiosus *Non possum capere sensum hunc:* carnem suam crucifixerunt. ℟. *Intellige quòd per continuam mortificationem, omnes sensus & motus domuerunt, & subjecerunt rationi.* Stu-

diosus *Quid est mortificatio?* ℟. Est virium animæ nostræ interiorum & exteriorum ad illicita, & terrena, proclivium, debita moderatio. *Istæ autem vires exteriores, sunt sensus externi, ut visus auditus &c. & interiores sunt sensus interni, seu appetitus concupiscibilis & irascibilis, intellectus, voluntas, amor proprius, & judicium proprium. Mortificatio enim in eo sita est, ut sensus & affectus naturæ à malo retrahamus, & effrenes motus eorum prohibeamus & moderamini.* Studiosus *Est ne nobis mortificatio necessaria?* ℟. *Est quia per mortificationem tentationes virescunt, peccata minnuentur, & pæna eis debita condonatur; adhibuit illam Apostolus 1. Cor. 9. ℣. 27.* Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. *Svasit eandem & nobis Colos. 3.* Mortificate membra vestra. *Cum autem ex immortificatione sensuum exteriorum, immortificatio affectuum interiorum procedat, ideò priùs danda est opera mortificationi exteriori. Sunt ergo 5. Sensus externi. Visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus, quorum mortificatio nobis maxime necessaria, per eos enim quasi per fenestras quasdam exteriora quæq; anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc*

Jeremias ait: Accedit mors per fenestras nostras. *Visus tunc mortificatur, quando ipso tantùm ad necessaria & utilia videnda utimur, jam verò è vanis & non necessariis eum avertimus.* Auditus *quando à scurrilitatibus, à murmurationibus detractionibus, & propriis laudibus abhorremus, & tantùm ad utilia & spiritualia attendimus.* Gustus *quando delicata non quaeruntur alimenta, sed insipida & communia, & quando ad satietatem non sumuntur, deniq; quando non immoderato appetitu, sed modo debitô cum gratiarum actione ad necessitatem, non autem delectationem percipiuntur. Semper ad gustum mortificandum attendet, lautiora dimittendo, vel aliquid appetitui subtrahendo vel etiam interdum absynthium aut aliquid simile sibi admiscendum quo fiat insipida. Tibi si Coquus vel Focaria aliquid insipidum parabit duplex se offert mortificatio, interna ut non prorumpas in verba malitiae, & à portione non abhorreas.* Odoratus *quando suffitus, unguenta, & alia gratissimi odoris fugimus, vel dum graves foetores propter DEUM libenter sustineamus.*

Tactus *deniq; mortificatur, tum per subtractionem eorum, quae ipsum possunt delicate fovere, ipsiq; blandiri ut mollium vestium, & corporis commoditatem tum per applicationem*

eorum, quæ tactum affligunt, ut sunt vestes asperiores, cilicia, disciplinæ, jejunia, fames, sitis, frigus calor, labores pro gloria DEI. Ad hanc mortificationem invitatur nos Christi Salvatoris nostri imitatio. Ipse enim vitam asperam ac duram in mundo egit, ad quam nos quoq; invitat: Qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum & Minister meus erit. Quæ omnia hucusq; tuæ infirmitati porrecta adminicula si te minimè reddunt securum in hoc sæculo nequam, fac juxta sequens exemplar. *quod* PETRUS *de Natalibus lib: 10. Cap: 8. recenset. Nimirum: fato decessisse Parisiis quendam Studiosum, cujus Magister fuerat præclarus Doctor* Silo, *qui eundem præ cæteris suis Discipulis ob singularis ingenii felicitatem dilexit. Hinc etiam ei fideliter in supremo morbo astitit, quousq; efflaret animam. A morte cùm Doctor* Silo *suo in conclavi pro defuncti anima DEUM precaretur, ecce subitò intrat mortuus ingnito indutus cuculo sese perennibus justo DEI Judicio adjudicatum flammis contestans. Nonne inquit Magister, confessus es? & peccata tua amaris expiasti lacbrymis? Confessus sum ait mortuus, sed sine contritione, sine efficaci licentiosæ vitæ meæ deserendæ proposito. non enim lacbrymas profudi*

super meas iniquitates, sed quòd vitam præcum suis oblectamentis deserere cogebar. Scias certò omnes ferme confiteri malè, qui pœnitentiam seram ac vitæ correctionem ad vitæ exitum differunt. Hæc Doctor Silo *audiens omnia quæ sibi evenerat & audierat, reliquis suis narravit Discipulus, singulosq; ad Mundi contemptum cohortatus, & ut ipse præiret exemplô, Exhortationem suam hoc clausit Epitome:*

Lingua, croax ranis, cras corvis, vanaq; vanis,
Ad Logicam perg , quæ mortē non timet ergò.

Sic cunctis quæ in Mundo possidebat valere jussis, ad tutiorem Religiosæ vitæ portum confugit, quem plures ex Discipulis secuti, Divino se pariter dicarunt obsequio.

SALUTATIO BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ

Ejusq; Sanctissimorum Parentum JOACHIM & ANNÆ

QUot maris guttæ sunt & arenæ terræ, grana & gramina campi, toties cum Filio tuo Ave Sanctissima Mater DEI, Gratia plena Dominus tecum. Benedicta tu in Mulieribus, & Benedictus Fructus Ventris tui JESUS Christus Filius DEI Vivi & Bene-

Benedicti sunt Parentes Tui JOACHIM & ANNA ex quibus sine macula Nobilissima Tua Caro Virginea processit. O! MARIA JOACHIM & ANNA orate pro nobis peccatoribus Filium, & Nepotem ter Maximum JESUM Christum nunc & in hora mortis nostræ, Amen.

INVOCATIO
S. JOANNIS NEPOMUCENI
Patroni periclitantium in fama.

SAncte JOANNES NEPOMUCENE, fac nos magnum Divino Nomini habere honorem, quia non erit impunitus qui super re vana Nomen Ejus assumpserit.

℣. Domine ne elongaveris auxilium tuum à me.

℟. Ad defensionem meam conspice.

OREMUS

DEUS cui soli debetur omnis honor & gloria per gloriosa merita S. Martyris Tui JOANNIS NEPOMUCENI, Te supliciter exoro, ut omnem infamiam & confusionem publicam undecunq; mihi impendentem misericorditer avertere digneris, & concede sic uti honore temporali, ut æternam confusionem evadere, & in cælesti gloria merear collocari. Per Dominum

num nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui ab æterna confusione ignonimiosa morte Crucis, nos redemit, & nunc tecum vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum Amen.

RESPONSORIUM
Ad D. ANTONIUM PADVANUM.

SI quæris miracula mors, error, calamitas, dæmon, lepra fugiunt, ægri surgunt sani, cedunt mare, vincula, membra, resq; perditas petunt & accipiunt juvenes & cani. Perunt pericula, cessat & necessitas. Narrent hi qui sentiunt, dicant Padvani, cedunt mare vincula, membra, resq; perditas petunt & accipiunt juvenes & cani. Gloria Patri & Filio & Spiritui S. Cedunt mare, vincula, membra resq; perditas petunt & accipiunt juvenes & cani.

℣. Ora pro nobis B. Antoni,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. *Oremus.*

MItissime, ac clementissime JESU, qui B. Antonium Cofessorem tuum perpetuis illustras miraculorum splendoribus, concede propitiùs, ut quæ per ejus merita fideliter petimus, per ejus intercessionem efficaciter consequamur. Qui vivis & regnas, &c. LITA.

LITANIÆ
LAURETANÆ B. V. MARIÆ

Kyrie eleison, Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cælis Deus Miserere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus Misere nobis.
Spiritus Sancte Deus Miserere nobis.
Sancta TRINITAS unus Deus Miserere n.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix
Sancta Virgo Virginum,
Mater Jesu Christi,
Mater Divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo Prudentissima,
Virgo Veneranda,
Virgo Prædicanda,
Virgo Potens,
Virgo Clemens,
Virgo Fidelis,

Ora pro nobis. Ora pro nobis.

Speculum Justitiæ,
Sedes Sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ
Vas Spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis Arca,
Janua Cæli,
Stella Matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina SS. Omnium,
Regina Regni Poloniæ,

Ora pro nobis. Ora pro nobis. Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. *Ave Maria &c.*

SUb tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis, libera nos semper Virgo glorisa & benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.
℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionib⁹ Christi

GRatiam Tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi Filii Tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus & Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christū Dñum nostrum.

Nos cum prole pia benedica Virgo MARIA. Amen. *Oremus.*

DEfende quæsumus, Domine istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Pietate tua, quæ-

ſumus Domine noſtrorum ſolve vincula peccatorum & intercedente Beata MARIA cum omnibus Sanctis tuis nos famulos tuos, Benefactores, atq; loca noſtra, in omni ſanctitate cuſtodi, omnesq; conſanguinitate, affinitate, atq; familiaritate nobis conjunctos, à vitiis purga virtutibus illuſtra, pacem & ſalutem nobis tribue, hoſtes viſibiles, & inviſibiles remove, carnalia deſideria repelle, àërem ſalubrem, & fertilitatem indulge, amicis & inimicis noſtris charitatem largire, atq; Urbem hanc cum omnibus in ea habitantibus, ab omni peſte, infideliumq; feritate, & potentia illæſam conſerva & omnibus fidelibus vivis & defunctis, in terra viventium vitam & requiem æternam concede, & Pontificem noſtrum N. Regem N. Antiſtitem N. omnes Prælatos & cunctum populum Chriſtianum, ab omni adverſitate cuſtodi & Benedictio Tua ſit ſuper nos ſemper. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

HYMNUS
S. CASIMIRI DE B. V. M.

OMni die dic MARIÆ mea laudes anima:
Ejus feſta, ejus geſta cole devotiſſima.
Contemplare & mirare, ejus celſitudinem,
Dic felicem, genitricem, dic B. Virginem,

Ipsam cole, ut de mole te criminum liberet
Hanc appella, ac procella vitiorum superet.
Hæc Persona, nobis dona contulit Cælestia,
Hæc Regina nos Divinâ illustravit gratiâ.
Lingua mea, dic trophæa Virginis puerperæ, (ne.
Quæ inflictum, maledictũ miro transfert germi-
Sine fine dic Reginæ mundi laudum cantica,
Ejus buna semper sona, semper illa prædica.
Omnes mei sensus ei personate gloriam,
Frequentate tam Beatæ Virginis memoriam.
Nullus certè tam disertæ extat eloquentiæ,
Qui condignos promat hymnos ejus excellentiæ.
Omnes laudent, unde gaudeat, Matrẽ Dei Virginis
Nullus fingat, quod attingat ejus celsitudinem.
Sed necesse quod prodesse piis constat mentibus,
Ut indendam, quod impendam me ipsius laudibus. (cat.
Quamvis sciam quòd Mariam nemo dignè prædi-
Tamen vanus & insanus est, qui illam reticet.
Cujus vita erudita disciplina cælica,
Argumenta, & figmenta destruxit hæretica.
Hujus mores tanquam flores exornat Ecclesiam.
Actiones. & sermones, miram præstant gratiã.
Evæ crimen nobis limen paradisi clauserat,
Hæc dum credit, & obedit, cæli claustra reserat.
Propter Evam homo sævam accepit sententiam,
Per Mariam habet viam, quæ ducit ad patriam.
Hæc amanda & laudanda cunctis specialiter,
Venerari, prædicari eam decet jugiter,
Ipsa donet, ut quod monet Natus ejus faciam.
Ut finitâ carnis vitâ, lætus hunc aspiciam.

ORA-

ORATIONES S. MECHTILDIS.

Quas ipsamet Sanctissima Virgo Deipara edocuit S. Melchtildem, monens: ut eas quotidie reciteret in honorem SS. Triados, primam in honorem Patris æterni, & omnipotentiæ Divinæ; Alteram in honorem Filii, infinitæq; Numinis sapientiæ; tertiam in honorem S. Spiritus, ac immensæ charitatis & amoris ejusdem DEI, atq; à singulis Personis Divinis, peteret ea, quæ oratiunculis sequentibus indicantur.

Post primam.

O Domina mea Sancta MARIA, sicut DEUS Pater per omnipotentiam suam Te potentissimam effecit, ita mihi quæso, adsis in hora mortis, expellendo à me omnem contrariam potestatem.

Post secundam.

O Domina mea Sancta MARIA, sicut Filius DEI tanta Te cognitione & claritate dignatus est, ut totum Cælum illumines, ita in hora mortis, animam meam cognitione fidei sic illustres & corrobores, ut nullo errore aut ignorantiâ pervertatur.

Post

Post tertiam.

O Domina mea Sancta MARIA, sicut Sanctus Spiritus suum amorem plenè Tibi infudit; ita tu in mea morte, dulcedinem amoris Divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo reddatur mihi suavissima. *S. Mechtildis Revelationum lib: 1. C. 61. f. 160.*

Pius Affectus

AD S. JOSEPH SPONSUM B. V. MARIÆ

FElix quem in ulnis JESUS cum MARIA
Tenuit cubantem, dum in agonia
Spiritum efflares, ut directâ viâ
Tenderes ad Patres functus vitâ piâ
Ne mei sis immemor in oratione
Ut vivamus in Cæli simul regione.

ORATIO

AD S. ANGELUM CUSTODEM

S. Caroli Boromei Cardinalis.

SAnctissime & vigilantissime Custos Angele, constituo Te Procuratorem Testamenti, ultimæq; voluntatis meæ, ad impetrandas mihi à Domino JESU tres gratias. Prima est ut donet mihi unum solum lachrymosum suspirium, ex infinitis illis, quæ habuit ipse dum per tres horas vivus pepen-

pependit in Cruce; quorum efficaciâ & virtute mitigentur lachrymabiles illi singultus, cordisq; pressuræ, & angustiæ, quibus in hora mortis affligar & gloriosissima DEI Mater MARIA dignetur me vel unico etiam adspectu, ex iis, quos ipsa etiam sub Cruce stans habuit, virgineos oculos in Filium unicum defigendo. Altera gratia est, ut Tu fidelissime Custos meus in illa potissimum hora mihi succurras, quando anima mea separabitur à corpore meo, ut inveniam Benignum Judicem ex merito flagrantissimæ illius charitatis, quâ Paternum ipsius pectus in Cruce fuit inflammatum pro salute peccatorum. Tertia gratia est, ut Tu idem purissime Custos meus animam meam Tibi habeas commendatam, eamq; de ergastulo corporis egressam Redemptori meo afferas, ut cum unà tecum in gaudiis Cæli videam, perfectè amem, eoq; æternaliter fruar.

HY-

HYMNUS
Pro defunctis ad B. V. M.

LUgentibus in Purgatorio,
Qui purgatur ardore nimio,
Et torquetur sine remedio,
Subveniat tua compassio
O Maria.
Fons es patens, quæ culpas abluis,
Omnes sanas, & nullum respuis,
Manum tuam extende mortuis
Qui sub pœnis languent continuis
O Maria.
Ad Te pia suspirant mortui,
Cupientes de pœnis erui,
Et adesse tuo conspectui,
Et gaudiis æterni perfrui
O Maria.
Clavis David, quæ Cælum aperis,
Nunc beata succurre miseris
Qui tormentis torquentur asperis
Educ eos de domo carceris.
O Maria.
Lex justorum, norma credentium,
Vera salus in te sperantium,
Pro defunctis sit tibi studium,
Assiduè orate Filium
O Maria.

Bene-

Benedicta per tua merita,
Te rogamus mortuos ſuſcita,
Et dimittens eorum debita,
Ad requiem ſis eis ſemita.
O Maria Amen.

ORATIO

ORamus Te piiſſima Virgo MARIA, mundi Regina & Angelorum, ut eis quos purgatorius examinat ignis, impetres refrigerium; peccatoribus indulgentiam, juſtis in bono perſeverantiam: nos quoq; fragiles ab inſtantibus defende periculis. Per Chriſtum Dñum noſtrum Amen.

ODPUSTY NIEKTORE
Od Stolice S. Apoſtolſkiey nádáne.

WSzyſtkim w powſzechności, y w ſzczegulności wiernym Chryſtuſowym, ktorzy z prawdziwą ſkruchą Spowiedź S. odpráwiwſzy y Nayś: Kommunią przyiąwſzy, ráno, w południe, y ná wieczor zá uderżeniem we dzwon Kościelny, *Anioł Páńſki zwiaſtował Pánnie Máryi y poczełá z Duchá S. Oto ia Służebnicá Páńſka, niech mi ſię ſtánie według Słowá twego. A Słowo ſtáło ſię Ciałem y mieſzkáło miedzy námi.* Przydáiąc trzy *Zdrowáś Márya*; klę-

cząc ná kolánách zmowią y zá zgodę Pánow Chrześciańskich, wykorzenienie Herezyi, y podwyższenie Kościołá S. Kátolickiego, gorąco do Páná BOGA modlić się będą. Miłościwie w tymże P. BOGU pozwalamy, áby w ieden dzien káżdego Miesiącá, ktory sobie káżdy według upodobánia swego obierze, zupełnego grzechow swoich dostąpił Odpustu: W inne záś dni Roku, ile rázy toż samo ktory z wiernych skruszonym sercem uczyni, sto dni Odpustu. *Et inhærendo dispositionibus Rubri ordinat, quatenus præfata Oratio à Vesperis cujuslibet Sabbathi & integro die Dominico sequente, stando recitetur. Ordinat prætereá ut durante tempore Paschali, quod ante Vesperas Dominicæ Trinitatis finitur, locò præfatæ Orationis, recitetur stando Antiphona* Regina Cæli *cum suo Versu & Oratione eidem correspondente.* Deus qui per Resurrectionem *&c. pro cujus recitatione concedit pariter benignè sua Sanctitas easdem Indulgentias.*

Niegdy ś. p. SYXTUS V. przez Bullę ktora się záczyna *Redituri* wydáną dnia 11 Lipcá, Roku 1587. wszystkim wiernym Chrystusowym, ktorzy by się witáiąc wzáiemnie mowili: *Niech bedzie pochwalony JEZUS CHRYSTUS*, y odpowiadáiącym, *Amen*

Amen álbo *ná wieki* czyli to włoſkim, czyli łácinſkim, álbo ktorymkolwiek innym ięzykiem wyrażáiąc, ile rázy by to uczynili Odpuſtu ſto dni, á tym ktorzy by Nayſłodſzego Imienia JEZUS, álbo MARYA nabożnie wzywáli, Odpuſtu dwádzieścia y pięć dni pozwolił. Tym záś ktorzy by to czynić zwykli, ieżeliby umieráiąc uſty, álbo ták nie mogac, przynaymniey ſercem Nayśw: Imienia JEZUS y MARYA wzywáli, nádto zupełny Odpuſt przydał.

Naywyżſzy Kościołá Chryſtuſowego Páſterz BENEDYKT XIV. ſzczęśliwie nam pánuiący, chcąc w ſercách Práwowiernych wzbudzić rozpámiętywánie Męki y Konánia Zbáwicielá náſzego Chryſtuſa Páná, odmawiaiącym w káżdy Piątek klęcząc pięć rázy *Oycze náß* y tyleż rázy *Zdr: Márya* zá podwyżſzenie Kościołá Chryſtuſowego, wykorzenienie Herezyi, zgodę Pánow Chrześciánſkich; tudzieſz zákámiałych grześnikow náwrocenie, gdy zádzwonią o trzeciey godzinie po południu, ſto dni Odpuſtu nádał Liſtem ſwoim wydánym Dnia 13. Grudnia Roku 1740. Przykázuiąc Rządcom Przełożonym Kościołow Kátedrálnych y Páráfialnych, áby w Piątek o trzeciey godzinie po południu dzwonie-

niem w ieden wielki dzwon, naymniey kwádrans práwowiernych do tegoż Nabożeństwá wzbudzáli.

De S. MATHIA APOSTOLO.

Antiphona. Beati pacifici, Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.
℣. In omnem terram exivit sonus eorum.
℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

OREMUS.

DEUS qui Beatum MATTHIAM Apostolorum tuorum Collegio sociasti: tribue quæsumus, ut ejus intercessione tuæ circa nos pietatis semper viscera sentiamus. Per Dominum nostrum &c.

De S. MATTHÆO.

Antiphona. Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente. & accipietis regnum æternum, Alleluia.
℣. Annuntiaverunt opera DEI,
℟. Et facta ejus intellexerunt.

OREMUS.

BEati Apostoli & Evangelistæ MATTHÆI, Domine precibûs adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Per Dominum nostrum JESUM Christum &c.

LITANIÆ

De S. STANISLAO Episcopo & Martyre.

KYrie eleison, Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere n.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
S. TRINITAS unus Deus, Miserere nobis.
Sancta MARIA,
Sancte STANISLAE,
Martyr egregie,
Gemma Præsulum,
Norma Sacerdotum,
Forma gregis ex animo factus,
Pastoris boni exemplar,
Lumen Ecclesiæ DEI,
Páter Patriæ prædicande,
Pater Filiorum honorande,
Apostole Polonorum,
Patrone Christianorum,
Præsul Urbis Cracoviæ,
Custos Gregis Chisti vigilantissime,
Sterilium Parentum votum & solatium,
Priùs DEO dicate, quàm nate,
Vitæ sanctitate mirabilis,
Eloquii veritate venerabilis,
Verbo & opere potens coram Domino,

Ora pro nobis. Ora pro nobis.

Exci-

Excitator mortuorum admirande,
Objurgator vitiorum acerrime,
Defensor Pauperum,
Tutor Clericorum,
Redemptor Captivorum,
Liberator Oppressorum,
Zelator pro Domo DEI,
Curator Animarum
Prædicator Veritatis,
Athleta Christi gloriose,

Ora pro nobis.

Norma & regula vitæ perfectæ,
Hereditatem Christi Sanguine ditans,
Nathan doctissime,
Imitator Joannis Baptistæ,
Domitor Regis Boleslai audacis,
Propugnaculum Christiani Nominis,

Ora pro nobis.

Adjutor Regum Polonorum,
Tutor tuorum Clientum,
Dive omnibus Gentibus honorande,
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab ira tua, Libera nos Domine.
A fulgure & tempestate, Libera nos Dñe.
A peste, fame, igne & bello, Libera nos.
A morte perpetua, Libera nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.

Antiphona.

O Beate STANISLAE, Præsul Urbis Cracoviæ, cujus signa victoriæ, latè patent Poloniæ, nam dono Christi gratiæ, pestes curantur variæ, Tuam Martyr egregie, opem precantes hodie, Regi commenda gloriæ.

℣. Pretiosa in conspectu Domini,
℟. Mors Sanctorum ejus.

ORATIO

DEUS pro cujus honore gloriosus Pontifex STANISLAUS gladiis impiorum occubuit, præsta quæsumus, ut omnes qui Ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum nostrum JESUM Christum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

DEUS qui Beatum STANISLAUM Pontificem & Martyrem, Ecclesiæ tuæ Præsidium, & miseris Patronum singularem providisti: Ejus Sanctitatem suscitatione PETRI Equitis Poloni à mortuis & innumeris miraculis illustrasti, concede propitius, ut ipsius Patrocinio & protectione muniti ab omnibus malis & à morte æterna liberemur. Per Dominum nostrum JESUM Christum &c.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino,
℟. Deo gratias.
℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

STU-

STUDIUM
pro salute proximi orandi.

ORationi semper vacandum est, ut semper nobis suppetat Divinum auxilium, quod planè necessarium est, ut non deficiamus in tam variis tum animi, tum corporis necessitatibus, utq; visibiles, & invisibiles hostes vincamus. Non potes inquis perpetuò orare, ora quàm poteris sæpissimè. Ora cum singulari reverentia & modestia, ut qui te viderint orantem ad pietatem excitentur. DEUS in Oratione & applicationem animi, & humilem requirit corporis compositionem. Ergo vide (inquit D. Chrysostomus) quis rogas? homo, quid? indulgentiam, quem? DEUM. *Indulgentiam non solùm tibi, sed etiam obduratis peccatoribus exoraturus es, ut per lavacrum pœnitentiæ remissionem omnium delictorum suorum inveniant. Deinde pro infirmis non solùm preces fundere, sed accuratam eorum solicitudinem habere, nam multi maximam ægri corporis, parvam autem aut nullam habent animæ curam. Quæ ex re magno cum salutis discrimine vel moriuntur sinè Sacramentis, vel ita serò suscipiunt ut exiguum ex iis fructum referant. Unde cum gravi morbo decumbere quemquam cognoveris, inquire qui sit morbi*

vel

vel infirmi status? quodsi aliquid periculi deprehendas, mitte aliquem qui salutet & procrastinantem prudenter & amicè ad Confessionem inclinet. Idemq; agere jubeantur domestici, quibus incumbit ea cura, cùm æger se negligit, quod si ipsi negligant, tunc Pastorem age, oviculam periclitantem quære, è faucibusq; lupi imminentis eripe. Docebis infirmantem periculosum esse expectare mortis ipsius periculum. Non timidi sed prudentis hominis esse mortis periculum prævenire, ubi de salute æterna agitur rem committendam non esse incerto jactui aleæ, morbos sæpè fallere, & subitò ingravescere, corvorum vocem esse illam cras cras, *Domini vocem,* hodie. *Confessarios & Confessionem aptè convenire cum Medicis & medicinis, turpè autem esse Christiano dum corpus curat, animam negligere, imò verò hanc ipsam incuriam animæ, corpori plurimum nocere, nam si conscientia remordet, si mens angitur peccatorum aculeis, si metus mortis & judicii animam turbat, hi morsus, hi angores, ipso Medicorum judiciô vim medicamentorum impediunt, ideoq; Medici infirmos læto animô esse jubent; sed quomodo lætus esse animus potest, si etiam ipse sit æger, & suis tormentis torqueatur? Major cura erit adhibenda, si jam infirmus sit obstinatior,*

objiciet

objiciet enim ille nunc serò esse, corpus languidum, memoriam turbatam, mentem confusam. Tu contra hæc: necdum est serô capiti & linguæ satis est, ut possis saltim graviora quæ vel confusæ menti occurrunt paucis verbis exprimere, si audiam, facilè intelligam, neq; ratio, nec DEUS plùs exigit quàm morbus & tempus hoc possit, confitere saltim aliquid, supplebo, aut tuipse plura postea, cum poteris; absolvam interim ab omnibus quod possum. Quid times? Sacramenta morbi vim non augent, imò pacificatâ benè conscientia, etiam corporis dolores minuunt. Juverit inter hæc, breves precatiunculas ad DEUM interponere, quas te præeunte infirmus per partes recitet, dare osculandum Crucifixum, aqua lustrali aspegere, polliceri quietem majorem, valetudinem corporis, si expediat, animæ salutem in tuto saltem locandam. Presbyteris specialiter incumbit orare non solùm ex vi creationis, sed etiam ex obligatione statûs, ut constat Jôélis 2. ubi inter vestibulum & altare non solùm orabant, sed etiam plorabant Sacerdotes Ministri Domini, dicentes: Parce Domine parce populo tuo, sic quoq; in Apostolis à Christo edocti & obligati sumus, Math: 3tio. Unde legimus Act: 3. Petrus & Joannes ascẽdebant in templum ad horam orationis

nonam

nonam. *Semper autem orationem tuam vel ad aliquod vitium eradicandum ut supra memoravi, vel ad virtutem comparandam vel deniq; ad tua erga DEUM, proximum, & teipsum munera perfectius obeunda oportet dirigere.* Discipulus: *Intentio & Attentio utrum sunt idem?* ℟. Intentio est actus voluntatis seu propositum aliquid faciendi g.v. *Sacramentum conficiendi, vel orandi. Attentio vero*: est actus intellectûs & advertentia mentis ad orationem exterius prolatam, vel ad objectum ejus.

Discipulus: *Habeo libellum pulchras & multas continentem Orationes propter quas vix mihi suppetit tempus recitandi Officium Divinum* ℟. *In hoc te laudo, in hoc autem culpo, quia privatum libellum præponis Breviario. Quod est breve compendium Sacræ Scripturæ & selectissimorum operum & actuum, ex Sanctorum vitis & Sanctis Patribus concinatum, ab Ecclesia & Ministris ejus ad laudandum DEUM singulis diebûs, & certîs horîs recitandum. Propter imitationem cælestîs concentûs quô Sancti & Angeli in Cælo assiduè in præsentia DEI, ejus laudibus sunt intenti. Uude dicit Psalmista 83.* Beati qui habitant in domo tua Domine. In sæcula sæculorum laudabunt te. *Cùm enim secundùm pro-*

missio-

missionem suam dicat Dominus Math: 28. Ecce ego vobiscum sum, omnibûs diebûs usq; ad consummationem sæculi, hic dignetur Christus nobiscum esse veraciter tam Sacramentaliter, quàm spiritualiter: dignum est pro modulo suo aliqualem exhibere reverentiam honoris & laudis, juxta exemplum similitudinis Cœlestis, ut ei & si non continuè sicut illi Cœli Cantores, saltim interpellatè pro nostra fragilitate psallendo alacriter assistamus, imitantes illam quæ sursum est Hierusalem Matrem nostram, ut ait Paulus ad Gal. 4. Ubi Joan: Apoc: 4. Vidit Majestatem magni DEI, & in circuitu Throni 24. Seniores, nunc sedentes, nunc stantes, nunc procidentes ante sedentem in Throno, & dicentes: Dignus es Domine Deus accipere gloriam & honorem & virtutem. *Imitemur Sacros Cælites cum in loco decenti qualis est Ecclesia, vel cella, vel alius locus honestus, aperto capite Officium Divinum cantamus, vel recitamus. Cujus Orationem Præparatoriã. Item* Pater noster. Ave Maria. *&* Credo *flexîs genibûs solet fieri. Versus autem* Domine labia *cum Psalmo* Venite exultemus, *& Hymno competenti, similiter lectiones,* Te Deum laudamus, *& collectas, stando dicimus. Psalmos autem modestè sedendo. Ad* Gloria Patri *caput humiliter inclinando. Tandem pro-*

ciden

cidentes in genua, Oblationis Divini Officii supplicibûs verbis facimus: Discipulus *quid mihi adhuc desideratur sciendum circa has preces Canonicas? ℟. ut piè & fructuosè persolvantur sunt tria servanda*: 1mo. Intentio quæ est actus voluntatis seu propositum aliquid faciendi? *Et habetur principalis in illa Oratione*: Aperi Domine os meum. 2do. Attentio quæ est actus intellectûs seu advertentia mentis: v.g. *ad Orationem exteriùs prolatam. Estq; triplex Ad verba, ad sensum, & finem Orationis. Quælibet harum sufficit ad satisfaciendum præcepto recitandi Horas Canonicas. Qui voluntariè seu suâ sponte distrahitur, & toto animô in alia per cogitationem disperso, atq; adeò absq; ulla prædictarum trium interiori attentione Horas Canonicas persolvit, non videtur satisfacere præcepto. Ita communis Doctorum sententia. Interim cùm quis incipit Horam vel auditionem Missæ intentione seu proposito attendendi quoties debita opera mentem ab intentione non dimovet, seu non retractat contraria voluntate non attendi, vel cogitandi incompossibilia cum attentione, licet deinde recitando aut audiendo per totam orationem vel Missam sit involuntariè distractus variis cogitationibûs, dicitur attentè recitare & audire, & satisfacere*

orandi

orandi & audiendi Sacrum præcepto, quia distractio illa est involuntaria, & manet attentio virtualis quæ sufficit ad implenda hæc præcepta. Ita D. Thomas 22. q. 83. a. 13. corp. & ad 3. Et ratio est, quia attenta humana fragilitate, impossibile est, hominem retinere imaginationem semper actu advertentem juxta illud Psal: 39. Cor meum dereliquit me. 3. Oblatio quæ est quædam præsentatio laudis nostræ DEO pro tertis rebus: Ut in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, vel in satisfactionem pro peccatis. vel pro aliquo vitio eradicando, vel pro comparanda aliqua virtute. Pro impetrandis donis necessariis, ad comparandam vitam æternam. Pro peccatoribus convertendis, vel ad tua erga DEUM, proximum & te ipsum munera perfectiùs obeunda. Tum pro variis necessitatibus tam publicis quàm privatis. Deniq; si hæc non sufficiunt ad distractionem tædiosæ forsan mentis, & majorem Spiritûs fervorem comparandum in orando. 1mo. Solet Ecclesia exprimere intentionem in oratione primarum Vesperarum. 2do. in Litaniis de omnibus Sanctis plures & necessarias petitiones. v.g. Ut Ecclesiam tuam Sanctam regere & conservare digneris. 3tio. assume Tabulam ad valvas Templi affixam, ubi extat Catalogus Defunctorum. 4to. in Diario quotidie novas

invenies

invenies intentiones ad quas orare vel celebrare poteris.

Discipulus: *Si culpabiliter Horas Canonicas in totum vel quo ad partem notabilem Beneficiarius omitteret?* ℟. *Peccaret mortaliter, & post sex Menses adepti Beneficii fructus non faceret suos. Nam S. PIUS V. statuit, quod tales pro rata omissionis fructus non faciant suos. Quid hoc pro rata?* ℟. *Qui omisit Matutinum tenetur restituere mediam partem fructuum illius diei. Qui solùm Primam, Sextam, partem fructuum. Qui omnes unius diei Horas omisit, nihil lucratur, sed omnes diei fructus restituere tenetur. Ratio tamen pro Parocho facienda, dividendo* v. g. *reditus in tres partes, quarum duæ correspondeant laboribus Parochialibus, ut Concionibus, Sacramentorum administrationibus, tertia autem Horis: ut si quotidie habeat tres florenos pro toto Breviario semel omisso, restituendus sit unus florenus.*

Discipulus *Cui facienda sit restitutio?* ℟. *eandem restitutionem fructuum esse faciendam vel fabricæ seu ornatui illius Ecclesiæ in qua quis habet Beneficium vel pauperibus.* Disci: *Possum ne dare Hospitali S. NICOLAI?* ℟. *Quinimo, cum valde modicam habeat fundationem.* Disc: *Quando graviter infirmabor?*

℟.

℟. Tunc decumbes in lecto, sed an obligabor ad Horas? ℟. *Excusat ab Officio Canonico gravis infirmitas, id est talis, ut sine magna difficultate vel corporis periculo Horarum preces recitari non posse videantur. Ita communis. Si non potes saltem unam integram Horam recitare, recita Hymnum, vel unum alterumve Psalmum, pro te & tibi similibus offerendo, ita consulit Ecclesiasticus Cap: 38.* Fili in tua infirmitate non despicias te ipsum, sed ora Dominum, & Ipse te curabit.

De Matutino privato. Sive de tempore incboandi Matutinum pro die sequenti.

TABULA.

Omnibus Breviarium Romanum recitantibus proposita, Romæ edita Typis Rever: Cameræ Apostolicæ, & ad Horas Horologii Gallici accommodata.

20. Januarii *hora 2da cum Quadrante.*
13. Februarii *hora sesquisecunda.*
1. Martii *hora 2da cum 3bus Quadran:*
18. Martii *hora Tertiâ.*
4. Aprilis *hora 3tia cum Quadrante.*
20. Aprilis *hora sesquitertia.*
10. Maji *hora 3tia cum 3bus Quadran:*
8. Junii *hora Quarta.*
30. Julii *hora 3tia cum 3bus Quadrant.*
28. Augusti *hora sesquitertia.*
7. Septembris *hora 3tia cum Quadrante.*
24. Septembris *hora Tertia.*
13. Octobris *hora 2da cum 3bus Quadrant.*
20. Octobris *hora sesquisecunda.*
18. Novembris *hora 2da cum Quadrante.*
15. Decembris *hora Secunda.*

ORATIO
Dicenda ante Divinum Officium.

APeri Domine os meum ad benedicendum Nomen Sanctum tuum: munda quoq; cor meum ab omnibus vanis, perversis & alienis cogitationibus: intellectũ illumina, affectum inflamma, ut dignè, attentè & devotè hoc Officium recitare valeam, & exaudiri merear ante conspectum Divinæ Majestatis tuæ. Per Christum Dominum nostrum Amen.

Domine in unione illius Divinæ intentionis quâ Ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi Horas persolvo.

Sequentes Orationes in fine Horarum devotè dicentibus BENEDICTUS Papa XII. duodecem millia dierum, & omnium negligentiarum ex distractione, non voluntaria in Divinis Officiis commissarum, indulgentiam concessit.

Post Matutinum.

PAtris Sapientia Veritas Divina,
Deus Homo captus est horâ matutina,
A suis Discipulis citò derelictus.

Judæis est traditus, venditus, afflictus. Ita Pater quia sic placitum est ante te, ut patiar pro illis, fiat. O amor salutis humanæ. Benedictus Deus & Pater, immensæ misericordiæ in sæcula, Amen. *Et*

Et similiter ad singulas Horas.

℣. Proprio Filio non pepercit Deus,

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit Illum.

ORATIO

Domine JESU Christe, Fili DEI vivi, qui horâ matutina pro nobis peccatoribus, post effusionem Sanguinei sudoris, tradi, capi, trahi & ligari, alapis cædi & conspui voluisti, & cum gloria resurrexisti, fac nos quæsumus contumelias & opprobria pro tui Nominis gloria lætanter suscipere, & sic tuæ Sacratissimæ Passionis memoriam recordari, ut ad piè resurrectionis gaudia feliciter pervenire mereamur. Qui vivis & regnas &c.

Post Primam.

Horâ prima Dominum ducunt ad Pilatū
Falsîs testimoniîs multum accusatum.
In collum percutiunt manibûs ligatum
Vultum Dei conspuunt lumen Cæli gratū.

Ita Pater quia sic placitum est ante te, ut patiar pro illis, fiat. O Amor salutis humanæ. Benedictus &c. *ut supra.*

℣. Insurrexerunt in me testes iniqui,

℟. Et mentita est iniquitas sibi.

ORATIO

Domine JESU Christe Fili DEI Vivi, qui prima horâ diei pro nobis pecca-

toribus contumeliosè instar latronis impio Judici Pilato es præsentatus, & sævientium cotra te crudelissimas voces, tanquam Agnus mansvetus patientissimè tolerâsti, da nobis pro tui Nominis gloria, ut cum astiterimus tuo terrifico Tribunali, non damnemur æterno suppliciô, sed cum tuis fidelibus in cælestibus consolari mereamur. Qui vivis &c.

Post Tertiam.

CRucifige clamitant hora tertiarum
Illusus induitur veste purpurarum.
Capur ejus pungitur coronâ spinarum
Crucem portat humeris ad locũ pænarũ,
Ita Pater, quia sic placitum est ante te, ut patiar pro illis, fiat. O Amor salutis &c.
℣. Supra dorsum meũ fabricaverunt peccatores
℟. Prolongaverunt iniquitatẽ sibi.

ORATIO

DOmine JESU Christe Fili DEI vivi, qui horâ diei tertia flagellîs cæsus & spinîs coronatus fuisti, & ad Crucis tormenta pro mundi salute Crucem tuam sacris humeris portando ductus es: Te suppliciter exoramus, ut per virtutem tuæ Sacratissimæ Passionis, omnia peccata nostra deleas & ad tuæ beatitudinis gloriam sempiternam nos misericorditer perducas. Qui vivis & regnas &c.

Post

Post Sextam.

HOrâ sextâ Jesus est Cruci conclavatus
Et est cum latronibus pendens reputa
Præ tormentis sitiens, felle saturatus, (tus
Agnus crimen diluens sic ludificatus.
Ita Pater, quia sic placitum est ante te, ut patiar pro illis, fiat. O Amor salutis &c.

℣. Foderunt manus meas & pedes meos,
℟. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

ORATIO

DOmine JESU Christe Fili DEI vivi, qui ad exprimendum ad te revertentibus tuæ benignitatis affectum horâ sextâ tua Sanctissima brachia in Crucis patibulo extendisti, & in Sanctissimo Corpore tuo, pro nostris sanandis vulneribus quinque pertulisti vulnera, nostramq; salutem sitiens, felle & aceto potari te permisisti, da nobis in Sangvine tuo proficere, & amore tuo fervere, ut tuis mereamur amplexibus æternaliter inhærere. Qui vivis &c.

Post Nonam.

HOrâ nonâ Dominus Jesus expiravit
Heli clamans, animam Patri commen
Latus ejus lanceâ miles perforavit, (davit.
Terra tunc contremuit, & Sol obscuravit.
Ita Pater, quia sic placitum est ante te, ut

patiar

patiar prò illis, fiat. O Amor salutis humanæ &c. *ut supra.*

℣. In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.

℞. Redemisti nos Domine Deus veritatis.

ORATIO

DOmine JESU Christe Fili Dei, qui horâ diei nonâ expansis in Cruce manibûs & inclinato capite clamans & lachrymans, DEO Patri Spiritum tradidisti, & in dulcissimi lateris tui apertione, in pretium nostræ redemptionis Sanguinem tuum fudisti, latronemq; serò pœnitentem in Paradisum suscepisti, da nobis indignis famulis tuis in hora mortis nostræ animas nostras ad te, qui verè Paradisus es, misericorditer pervenire. Qui vivis &c.

Post Vesperas.

DE Cruce deponitur horâ vespertinâ
Fortitudo latuit in mente Divina.
Talem mortem subiit vitæ medicina
Heu Corona gloriæ, jacuit supina.
Ita Pater, quia sic placitum est ante te, ut patiar pro illis, fiat. O Amor salutis &c.

℣. Christus factus est pro nobis obediens usq; ad mortem.

℞. Mortem autem Crucis.

ORA-

ORATIO

DOmine JESU Christe Fili DEI Vivi æternæ beatitudinis Conditor, qui horâ vespertinâ de Cruce in tuæ Matris sinum depositus, conditus es aromatibus: concede propitius ut depositîs nostrorum peccatorum sarcinîs, ante conspectum Divinæ Majestatis tuæ præsentati, inter Sanctos & Electos tuos tecum æternaliter gaudeamus. Qui vivis & regnas &c.

Post Completorium.

HOrâ Completorii datur sepulturæ
Corpus Christi nobile, spes vitæ futuræ,
Conditur aromate; complentur scripturæ,
Jugi sit memoriæ mors hæc mihi curæ.

Ita Pater, quia sic placitum est ante te, ut patiar pro illis, fiat. O Amor salutis humanæ &c. *ut supra.*

℣. In pace factus est locus ejus
℟. Et in Sion habitatio Ejus.

ORATIO

DOmine JESU Christe, Fili DEI Vivi, qui horâ Completorii sepultus es, & â Matre tua mæstissima & ab aliis Mulieribus planctus & lamentatus fuisti, fac nos Domine gementes & lamentantes, tuam devotissimè deplangere Passionem, cujus

nos memoriam recolentes, de exilio ad Patriam, de labore ad requiem, de mœrore ad Beatiſſimæ tuæ Viſionis conſolationem pervenire concedas. Qui vivis &c.

COMMENDATIO

HAs Horas Canonicas cum devotione,
Tibi Chriſte recolo pia ratione.
Ut qui pro me paſſus es amoris ardore,
Sis mihi ſolatium, mortis in agone.

Suſpirium.

Eheu Domine mi! quando purâ, ſimplici, & læta mente Te colam, quando quieta, ſtabili, & ſerena conſcientia tibi ſerviam, quando ab immenſitate amoris tui abſorbebitur cor meum! quid volo præter Te, aut quid omnia mihi prodeſſe poſſunt, ſine Te? Tu ſolus ſufficis animæ meæ o DEUS meus & omnia!

ORATIO

Pro ſupplemento negligentiæ in Horarum recitatione, poſt expletum Officium dicenda.

O Bone JESU propitius eſto mihi peccatori, ego tepidum & diſtractum Officium, commendo mellifluo Cordi Tuo emendandum & perficiendum, in ſatisfactionem efficaciſſimam Divinæ tuæ Juſtitiæ Tibi offero ad ſalutem omnium tam vivo-

rum, quàm defunctorum, in unione meritorum Ecclesiæ militantis & triumphantis, in unione illius perfectissimæ attentionis tuæ quâ Patrem orâsti, & laudasti in terris, responde quæso, satisfac, & supple pro me plenissimè.

Orationem sequentem devotè per Officium recitantibus LEO Papa X. defectus & culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas, indulsit. & dicitur flexîs genibûs.

SAcrosanctæ & Individuæ TRINITATI, Crucifixi Domini nostri JESU Christi Humanitati, Beatissimæ & gloriosissimæ semperq; Virginis MARIÆ fæcundæ integritati, & omnium Sanctorũ Universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus & gloria ab omni creatura, nobisq; remissio omniũ peccatorum, per infinita sæcula sæculorum.

Beata viscera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium. Et beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum. *Pater noster. Ave Maria.*

De

De cultu Sanctissimæ Virginis & Dominæ nostræ Deiparæ MARIÆ.

Non mare tot guttas, quot mala mundus habet.

MARIA interpretatur, Stella maris ait S. THOMAS: quia sicut per Stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam. *Propterea Ecclesia Eam his verbis salutare consvevit.* Ave Maris Stella, DEI Mater alma, *petitq; supplex ab illa.* Vitam præsta puram, iter para tutum. *quò igitur tuti in hoc periculosissimo mundi profluvio simus, infernosq; prædones, passim omnes vitæ præsentis vias obsidentes, securi evadamus, ad Mariam Virg: toto pietatis affectu anhelemus, eamq; devoto cultu ac veneratione prosequamur, oportet.*

Multæ in multis Libris reperiuntur preces cultui Ejus & nostro patrocinio deservientes. Ego præmissa relatione Decreti PAULI V. Coronam Scapularis B.M.V. huic libro in Ejus cultū & nostrum salutiferum commodum imprimo. Supra memorati Decreti verba sunt sequentia:

Patribus Carmelitanis permittitur prædicare, quod populus Christianus possit piè credere de adjutorio animarum Fratrū & Confratrum Sodalitatis B.V. MARIÆ de Monte Carmelo, videlicet

delicet Beatissimam Virginem animas Fratrum & Confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum gestaverint, & castitatem pro suo statu coluerint, Officiumq; parvum recitaverint, vel si recitare nescierint, Ecclesiæ jejunia observaverint, & Feriâ 4tâ & Sabbatô à carnibus abstinuerint, nisi ubi in iis diebus Nativitatis Domini Festum inciderit, suis intercessionibus continuis piisq; suffragiis & meritis ac speciali protectione post eorum transitum, præcipuè in die Sabbati, qui dies ab Ecclesia ejusdem Beatissimæ Virgini dicatus est, adjuturam. Clariùs hæc explicant Venerabiles PP. Thomas à Jesu & Cyprianus à Maria Carmelitæ Discal: cùm testantur sequentes conditiones à Confratribus Sacri Scapularis observandas esse.

1. Ut Scapulare benedictum die noctuq; portent. 2. Ut pro sui statûs ratione castitatem servent. Adjuvabit eos hæc Mater purissima, quæ est castarum mentium. Custos & nutrix fidelissima 3. Quolibet die 7. Pater & Ave & unum Credo recitent. 4. Ut omnibus Feriis 4tis & Sabbatis jejunent seu à carnibus abstineant. Si autem contigerit alicui Feria 4ta cum carnibus vesci, recitet Coronam ad B.V.M. 5. Omnibus Solemnitatibûs B.V.M. confiteantur & Communionem Sacramentalē suscipiant. 6. Diebus Dominicis & Festis Coronā ad B V.M. recitent. Hæc autem Conditiones non obligant sub mortali peccato neq; sub veniali, sed qui illas observaverit, vivet in illis, seu vivet in spe consequendi gratias & effectus Privilegiorum.

CORO-

CORONA DEIPARÆ VIRGINIS

PRÆAMBULUM.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

Dignare me laudare te, Virgo Sacrata,
Da mihi virtutem contra hostes tuos.

I. DECAS

Perpende breviter primam effusionem Sanguinis Domini in Circumcisione, & ad Christum conversus dic.

DUlcissime Domine JESU Christe rogo Te per effusionem pretiosissimi Sanguinis tui, quem pro me effundere dignatus es in Circumcisione, libera me à peccato luxuriæ, & da mihi virtutem castitatis. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs S. DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen. *Pater noster.*

Deinde recogitans gaudium Sanctissimæ Virginis, quod habuit in Annuntiatione, sic orabis:

O Dulcissima Mater Dei, & Virgo Domina, Patrona & Advocata mea, rogo Te per gaudium cordis tui, quod habuisti in Annuntiatione Incarnationis Filii tui Domini nostri, impetra mihi ab eodem Filio Tuo remissionem peccatorum meorũ, seriam vitæ meæ emendationem, solidum progres-

progreſſum & perſeverantiam in virtutibus, finem perfectum, animabus fidelium defunctorum requiem æternam. Amen.

Decem Ave Maria ſubjunge.

Decies millies te laudent & benedicant VirgoMater glorioſa Maria, omnes Sancti Angeli & Archangeli, univerſæq; Curiæ Cæleſtis Spiritus, cum quibus ſperamus te aliquando videre colereq; in Cælo Amen.

II. DECAS

Perpendens ſecundam effuſionem Sanguinis Domini in Horto, ſic orabis:

DUlciſſime Domine JESU Chriſte rogo Te per effuſionem pretioſiſſimi Sanguinis tui, quem pro me effundere dignatus es in ſanguineo ſudore, libera me à peccato acediæ, & da mihi virtutem devotionis. Qui vivis & regnas &c. *Pater noſter.*

Deinde recogitans gaudium B. Virginis, quod habuit in Viſitatione Eliſabeth, ſic orabis:

O Dulciſſima Mater Dei & Virgo Domina, Patrona & Advocata mea, rogo Te per gaudium cordis tui, quod habuiſti in Viſitatione S. Eliſabethæ cum Filio tuo Domino noſtro, impetra mihi ab eodem Filio Tuo remiſſionem peccatorum meorũ, ſeriam vitæ meæ emendationem, ſolidum progreſſum & perſeverantiam in virtutibus

fidem perfectam, & animabus fidelium defunctorum requiem æternam Amen.

10. Ave Maria subjunge.

Vicies millies Te laudent & benedicant Virgo Mater, gloriosa Maria, omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, Innocentes, S. Joannes Baptista. omnes Sancti veteris Testamenti, cum quibus speramus nos aliquando te visuros & culturos in Cælis Añ.

III. DECAS

Perpende tertiam effusionem Sanguinis Dominici in flagellatione & dic:

DUlcissime Domine JESU Christe, rogo Te per effusionem pretiosissimi Sanguinis, quem pro me effundere dignatus es in crudelissima flagellatione, libera me à peccato gulæ, & da mihi virtutē temperantiæ. Qui vivis & regnas &c. *Pater noster.*

Deinde recogitans gaudium B. Virginis quod habuit in partu Filii sui, sic orabis.

O Dulcissima Mater Dei, & Virgo Domina, Patrona & Advocata mea, rogo Te per gaudium cordis tui, quod habuisti in partu Virgineo Filii tui Domini nostri, impetra mihi ab eodem Filio tuo remissionem peccatorum meorum, seriam vitæ meæ emendationem, &c. *ut supra.*

10. Ave Maria adde.

Tricies

Tricies millies te laudent & benedicant, Virgo Mater gloriosa Maria, omnes SS. Apostoli Discipuli Domini & Evangelistæ, cum quibus speramus nos aliquando Te videre colereq; in Cælis. Amen.

IV. DECAS

Recogita devotè quartam effusionem Sanguinis Divini in spinea coronatione & dic:

DUlcissime Domine JESU Christe, rogo Te per effusionem pretiosissimi Sanguinis tui, quem pro me effundere dignatus es in spinea coronatione, libera me à peccato superbiæ & da mihi virtutem humilitatis. Qui vivis &c. *Pater noster.*

Deinde perpendes gaudium Sanctissimæ Virginis in Magorum adventu & sic orabis.

O Dulcissima Mater Dei, & Virgo, Domina, Patrona & Advocata mea, rogo Te per gaudium cordis tui, quod in adoratione à tribus Regibus Filii Tui Domini nostri habuisti, impetra ab eodem Filio tuo remissionem peccatorum meorum, seriam vitæ meæ emendationem, &c.

10. Ave Maria subjunge.

Quadragies millies te laudent & benedicant, Virgo Mater, gloriosa Maria omnes Sancti & gloriosi Martyres cum quibus speramus nos aliquando &c.

V. DECAS

Perpende quintam effusionem Sanguinis Dominici in vestium expoliatione, & dic:

DUlcissime Domine JESU Christe, rogo Te per effusionem pretiosissimi Sanguinis tui, quem pro me effundere dignatus es, in vestium ante crucifixionē expoliatione, libera me à peccato avaritiæ, & da mihi virtutem liberalitatis. Qui vivis &c.

Pater noster.

Deinde recogitans gaudiũ B. Virginis quod habuit in præsentatione Filii sui in Templo. sic orabis:

O Dulcissima Mater Dei, & Virgo, Domina, Patrona & Advocata mea, rogo Te per gaudium cordis tui, quod habuisti in præsentatione in Templo Filii tui Domini nostri, impetra mihi ab eodē Filio tuo remissionem peccatorum meorum, seriam vitæ meæ emendationem, &c.

10. Ave Maria adjunge.

Quinquagies millies te laudent & benedicant Virgo Mater gloriosa Maria, omnes Sancti Confessores, Episcopi, Doctores, Monachi & Eremitæ, Virgines, Viduæ, Conjugati, cum quibus &c.

VI DECAS

Regitans copiosam effusionem Sanguinis Dominici in crucifixione, dic:

Dulcissime

DUlcissime Domine JESU Christe, rogo Te per effusionem pretiosissimi Sanguinis tui, quem pro me effundere dignatus es, in ignonimiosa simul & dolorosissima crucifixione tua, libera me à peccato iræ, & da mihi virtutem patientiæ. Qui vivis & regnas &c. *Pater noster.*

Deinde considerans gaudium B. Virginis, quod habuit in inventione Filii in Templo, sic orabis:

O Dulcissima Mater Dei & Virgo, Domina Patrona, & Advocata mea, rogo Te per gaudium cordis tui, quod habuisti in inventione in Templo Filii tui, Domini nostri, impetra mihi ab eodem Filio tuo virtutem ferventis devotionis, consolationem in variis afflictionibus, ut dignetur propitius esse mihi maximo peccatori & omnibus nostris Benefactoribus, quorum utimur beneficiis seu eleemosynis ut illis pro parvis magna, pro terrenis Cælestia, pro temporalibus sempiterna largiatur, & præcipuè qui mihi aliquid boni fecerunt, N.N. illis per suam piissimam misericordiam propitius esse dignetur. Amen.

10. Ave Maria subjunge.

Sexagies millies te laudent & benedicant Virgo Mater, gloriosa Maria, S. ANNA

Mater tua, & Mariæ Cognatæ tuæ, amicissimaq; tibi Magdalena & Martha, omnes Sanctæ Virgines, Viduæ, conjugatæ cum quibus speramus &c.

VII. DECAS

Perpendens septimam effusionem Sanguinis Divini in lateris transfixione, sic orabis:

DUlcissime Domine JESU Christe, rogo Te per effusionem pritiosissimi Sanguinis tui, quem pro me effundere dignatus es in lateris transfixione, libera me à peccato invidiæ & da mihi virtutem charitatis. Qui vivis & regnas cum DEO Patre &c.

Pater noster.

Demùm recogitans gaudium Sanctissimæ Virginis in Assumptione &c.

O Dulcissima Mater Dei & Virgo, Domina Patrona & Advocata mea, rogo Te per gaudium cordis tui, quod habuisti in Assumptione tua ad Cælos & coronatione, impetra mihi à Dilecto Filio tuo Domino nostro, remissionem peccatorum &c.

10. Ave Maria subjunge.

Centies millies te laudent & benedicant Virgo Mater, gloriosa Maria, omnes Sancti, Sanctæq; Dei, cum quibus speramus te aliquando videre colereq; in Cælis. Amen.

Credo in Deum Patrem &c.

Commen-

Commendatio Coronæ.

SUſcipere digneris Domine Sanctè Pater Omnipotens, hanc Coronam, quam ego indigniſſimus famulus tuus offero tibi in memoriam Paſſionis & effuſionis pretioſiſſimi Sanguinis Domini noſtri Jesu Chriſti, ſuſcipere digneris & in memoriam ſeptem gaudiorum temporalium, & ſeptem æternorum glorioſiſſimæ Genitricis ejusdem Filii tui Unigeniti Virginis MARIÆ; ſuſcipere inquam digneris Domine Sanctè Pater Omnipotens, hanc Coronã ad laudẽ & gloriam tui Sanctiſſimi Nominis, ad honorem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ in ſpecialem honorem S. Michaëlis Archangeli & S. Angeli Cuſtodis mei, S. Joannis Baptiſtæ, S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, S. Joſephi & Annæ, S. Adalberti & S. Stanislai atq; Nicolai Patronorum meorum & totius Curiæ Cæleſtis exultationem. Et pro cuncto populo quem acquiſiviſti pretioſo Sanguine Filii tui, & pro me miſero peccatore, pro remiſſione peccatorum noſtrorum, pro expurgatione vitiorum, pro augmento virtutum, pro pace & ſanctitate fidelium populorum, pro fructibus terræ, pro ſtabilitate Eccleſiæ, pro ordine Sanctorum, pro converſione & revoca-

tione peccatorum, & pro omnibus meis peccatis, vitiis & negligentiis, & pro emendatione vitæ meæ. Insuper suscipere digneris pro omnibus fidelibus, tam vivis quàm defunctis, pro quibus scis & vis me oraturum, oro ut mihi & illis proficiat ad salutem & vitam sempiternam, Amen.

LITANIÆ
DE S. NICOLAO EPISCOPO MYRENSI & CONFESSORE.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cælis Deus Miserere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus Miserere no:
Spiritus Sancte Deus Miserere nobis.
Sancta TRINITAS unus Deus Miserere n.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancte NICOLAE
S. Nicolae miraculorum Operator,
S. Nicolae pauperum Auxiliator,
S. Nicolae Virginum Defensor,
S. Nicolae navigantium Protector,
S. Nicolae mortuorum Excitator,
S. Nicolae Templorũ Dei Restaurator,
S. Nicolae mærentium Consolator,
S. Nicolae Pontifex Divinitûs electe,

Ora pro nobis.

S. Nicolae Bone ovium Paſtor,
S. Nicolae dæmonum Expugnator,
S. Nicolae Fidei Chriſtianæ Propugnator,
S. Nicolae vitiorum Extirpator,
S. Nicolae idolorum Deſtructor,
S. Nicolae hæreſum Profligator,
S. Nicolae ægrotantium Salus,
S. Nicolae captivorum Adjutor,
S. Nicolae arcanorum Cognitor,
S. Nicolae eleemoſynarum Largitor,
S. Nicolae paupertatis Amator,
S. Nicolae abſtinentiæ Cultor,
S. Nicolae Virginitatis Servator;
S. Nicolae noſter Patrone & Protector,
S. Nicolae virtutum omnium Sectator,
S. Nicolae ad Te confugientiũ Exauditor,
S. Nicolae animarũ de Purgatorio Libera(tor
S. Nicolae Manna ſudans,
S. Nicolae Barienſium Patrone,
S. Nicolae Serve Dei, Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei, &c. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, &c. Miſerere nobis.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Ora pro nobis Beate Pater NICOLAE,
Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO

PRæsta quæsumus Omnipotens DEUS, ut qui Beati Nicolai Confessoris Tui atq; Pontificis suffragia postulamus in terris, de ipsius societate gaudeamus in Cælis. Largire nobis quæsumus Omnipotens Domine DEUS noster, ut quidquid per intercessionem S. Pontificis Tui Nicolai à Majestate Tua deposcimus, ejus intervenientibus meritîs consequi mereamur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

ANTIPHONA DE S. CAIETANO.

Tu forma Christi factus, ex animo sectator Apostolorum inclyta tenes Regna Cælorũ.
Ora pro nobis S. Pater CAIETANE,
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne DEUS qui S. CAIETANUM Confessorem in Tua Providentia mirabiliter confidentem terrena fecisti despicere & donîs Cælestibûs abundare; concede, ut qui Ejus commemorationem colimus, Cælesti ejusdem providentiæ præsidia sentiamus, & ad sempiterna jugiter aspiremus.
Per Dominum nostrum Jesum &c.

STU-

STUDIUM
Conſolandi mæſtos.

DIſcipulus: vidi (*inquit* Salomon *Eccl*: 4) lacrymas innocentium, & neminem conſolatorem: *Ego ex corde afflictis vellem compati, ſed ignoro quomodo?* Condiſcipulus: *Stude ſequentibûs modis.* 1mo. *Inculcetur talibus nihil ſine voluntate DEI fieri juxta illud Eccl*: 17. Bona & mala, vita, mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt, *Propter quod ait Paulus* 2. *Cor*: 12. placeo mihi in firmitatibus, in contumeliis, & neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis.

2dò. *Oſtendatur, tribulationes eſſe ſignum filiorum Dei & prædeſtinationis. Id colligitur ex Apoc*: 3. *Ubi inquit DEUS ipſe*: Ego quos amo arguo & caſtigo. 3tio. *Horteris afflictum, ut Chriſti exemplum & SS. Paſſionem ob oculos ponat ſibi: Hinc enim mirum robur & ſolatium oriri colligitur, ſi æquitas rumi-netur. Non enim eſt major ſervus Domino: neq; Diſcipulus ſupra Magiſtrum: ſi ergo Chriſtum oportuit pati & ita intrare in gloriam ſuam, quantò magis Diſcipuli & ſervi ejus per hanc viam ad Cælum tendere debebunt.* 4to. *Moneat afflictum quòd nemo ſit in hoc mundo ſine afflictione nam uti Job c.* 14. *ait*:

homo

homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multîs miseriîs. 5. *Hortetur ut sæpe ad præmia tribulationibus promissa, animum afflictus convertat, revocetq́ in memoriam illud Sancti Pauli ad Romanos Cap: 8.* Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Sic Christus proposito sibi gaudiò sustinuit Crucem. Sic & S. Franciscum in gravi oculorum dolore animavit; dum dixit:* Si tota terra esset aurum & mare ac flumina & fontes essent balsamum, & omnes montes collesq; ac lapides essent gemmæ & tibi alius thesaurus longè hîs pretiosior daretur pro infirmitate, an non gauderes? Ecce hic est thesaurus vitæ æternæ quem tibi repusui. Et exnunc te investio, & ipsa infirmitas & afflictio tua est arma illius beati thesauri *Spec: Exem: V. Glor. Cæli ex 8.*

6to. *Prospicit tuis afflictionibus admirabilis Dominus Psal: 49. ℣. 15.* Invoca me in die tribulationis eruam te, & honorificabis me *obedivit voci Domini Propheta & expertus effectum, cofitetur coram toto mundo consolationem suam:* Ad Dominum cùm tribularer clamavi & exaudivit me. 7mo. *V. Beda invitat ad Templum pro devota auditione Missæ propter hanc enim (inquit ille) libe-*

ratur

ratur homo à cunctis periculis & afflictionibus. Si audiens? tantò magis Sacerdos piè celebrans certam spem consolationis in tremendo Missæ Sacrificio reponat. Discipulus, Quid causat piam celebrationem? ℟. Si præmittas diligentem præparationem. Præparatio hæc est 2plex, Remota & Proxima. Remota exigit jejunium naturale, Reconciliationem cum proximo & munditiam animæ & corporis. Prima acquiritur per examen conscientiæ & confessionem. Macula autem corporis sive aliquando cui accedat voluntaria sive inculpata, cùm causet hebetudinem in mente ex depressione ipsius ad carnem ut inquit D. THOMAS, ideo consulitur hac die abstinere à Sacra Communione nisi necessitas adsit communicandi vel sacrificandi tunc previâ humili confessione sacramentali illam corporalem hebetudinem distractionesq; imminentes dispellere studeat, tum ferventiori quadam oratione mentali, vel etiam vocali ac si spiritualium aromatum oblatione ad Sacra mysteria peragenda accedere possit. Præparatio proxima consistit 1mo. In consideratione magnitudinis Divinæ Majestatis præsentis in hoc Sacro Convivio. Christus augustissimum Missæ Sacrificium instituit ad Honorem & Gloriam Patris æterni: in eod. Sacrificio, cujus DEUS est victima, sic honoratur Pater

æternus, ut magis non possit honorari. Unde Sacrificium hoc DEO honorificentissimum est, hominibus etiam est utilissimum: nam homines sperare debent se nihil non impetraturos meritis JESU Christi. Quid enim Pater negare posset Sanguini & Vulneribus Filii sui. Cùm in Altari Christus offertur, clamat idem Redemptor ad Patrem corporaliter suas cicatrices ostendens *Laur: Just.* 2do. *in conscientiæ puritate* 3tio. *in actibus petitionis Divini auxilii seu Præparatione vocali, qualis reperitur in Principio Missalis Romani vel in præsenti scheda.* Sacerdos non legitimè impeditus, celebrare omittens, quantùm in eo est, privat SS. TRINITATEM laude & Gloria, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, in purgatorio existentes refrigeriô, Ecclesiam Spirituali Christi beneficiô, & seipsum medicinâ & remediô. *V. Beda.* Quando Sacerdos celebrat, DEUM honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, & se omnium bonorum participem efficit. *Thomas à Kempis l. 4. c. 5. Ex his motivis, Viri perfecti Divini Cultûs studiosiores, animabus juvandis addictiores, non facilè omittunt, imò omni diligentiâ contendunt, ne dies aliqua ipsis transeat, non facto, aut non audito, ubi possi-*

possibile est Sacrô. De S. Carolo Boromæo scribit Episcopus Novariensis in ejus vita Lib: 7. Cap: 13. Missæ Sacrum facere nunquam omisit nisi morbi impeditus gravitate. *B. J. Cantius*: Nullum diem abire patiebatur, quo Sacris non operaretur, ita DEUM sibi & populo placare satagendo.

Forma Intentionis.

Quam devotè recitantibus GREGORIUS XIII Pontifex Maximus concessit 50. annorum Indulgentias.

Ego volo celebrare Missam & conficere Corpus & Saguinem Dñi nostri JESU Christi juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad laudem & gloriam Omnipotentis DEI Totiusq; Curiæ triumphantis, ad utilitatem meam, totiusq; Curiæ militantis: pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis & in genere, & in specie, & pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, Gratiam & Consolationem Sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis Omnipotens & misericors Dominus. Amen.

APPLICATIO
Pro omnibus necessitatibus & privatis & publicis.

O Pater misericordiarum & DEUS totius Consolationis. Ecce ego indignus peccator vocatus in societatem Filii Tui hoc Sacrificium celebraturus advenio, ad laudem & gloriam SS. TRINITATIS, Beatissimæ Virginis MARIÆ, SS. Angelorum & Custodis mei, Patronorumq; meorum, & hujus Sancti N. cujus Festivitatem celebrat Mater Ecclesia DEI, cùm igitur ego indignus peccator debitas Tibi agere gratias pro beneficiis in me collatis, dignè facere nequeam offero Tibi in hoc Sacrificio omnia merita Unigeniti Filii Tui Domini JESU Christi charitatem, obedientiam, humilitatem, mansvetudinem, omnes Ejus labores, jejunia, fatigationes, Orationes, angustias, dolores, offero omnia merita Beatissimæ MARIÆ Virginis, corda inflammata, omnium Angelorum, Patriarcharum fidem, Prophetarum constantiam, Apostolorum labores, Martyrum pænas, Confessorum Sanctitatem, Virginum puritatem, Totiusq; Curiæ Cælestis cogitationes, motusq; omnes. Offero

omia

omnia Sacrificia, quæ nunc per univer-ſum Orbem offeruntur, offero omnium Religioſorum laudes, orationes mortificationes, curas in animabus juvandis, Sacramentis adminiſtrandis, Verbô Dei prædicando. Offero omnium juſtorum opera, tribulationes, dolores, labores, quibus omnibus voluntatem meam adjungo & participes haberi cupio. Intende oculos miſericordiæ Tuæ in Summum Pontificem Romanum N. & univerſos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Parochos, & in omnes qui ad Statum Clericalem pertinent, miſerere omnium Religionum, & præſertim in hac Civitate, & noſtra congregatione, ut exactè paupertatem, caſtitatem & obedientiam ſervent. Effunde miſerationes Tuas in Regem noſtrum N. in omnes Catholicos Reges, in univerſos Gubernatores, Nobiles, Plebejos, in omnes qui ad Statum ſpectant Sæcularem, Regni Poloniæ Civitates & Provincias ab incurſu hoſtium conſerva, à peſte, fame, & bello libera, & pacem in diebus noſtris concede. Deniq; offero Tibi hoc Sacrificium pro omnibus vivis atq; defunctis, pro quibus Dominus noſter JESUS Chriſtus & Ejus Mater ſciunt & volunt me de-

bere orare & ſacrificare, ſic oro obſecro ac orare & ſacrificare intendo, ac propo no, juxta intentionem Sanctæ Catholic Eccleſiæ ego N. Miniſter, & licèt indi gnus Sacerdos. In Nomine Pat†ris & Fi†lii & Spiritus † Sancti Amen.

Sub celebratione obſervanda

Audi Eccleſiaſticum Cap: 1. te alloquentem. Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in ju ſtitia & timore, & præpara animam tuan ad tentationem. *Jam præparaſti animam tuam per antecedentia adjutoria: ſta erg fortiter primò in conſcientiæ juſtitia, retin & ſecundam juſtitiam, nempe Cerimonias i Miſſali vel in Libro monita Generalia, præ ſcriptas, tum in fundamento hujus juſtitiæ cum ſcrupulis & diſtractionibus non diſputes ſed age quod agis. Sta fortiter in timore Domi ni, nam tremendum Miſſæ Sacrificium celebra*

APPLICATIO MISSÆ

Pro vivis.

Memento vivorum N.N.

1. Mei Parentum, Fratrum, Sororum Conſanguineorum meorum & omniun amicorum meorum, ut eis dones quod vo luntati Tuæ placitum & ſaluti eorum pr futurum eſſe cognoveris.

2.

2. Omnium quibus fui gravamen, scandalum & occasio peccandi.

3. Omnium Benefactorum & Ministrorum DEI Ecclesiæ Catholicæ.

4. Omnium hæreticorum & infidelium ad conversionem.

5. Omnium agonizantium & improvisè morientium.

6. Omnium mihi commissorum & in genere & in specie.

7. Omnium in peccatis obstinatorum.

8. Specialiter Personæ N.N.

Ad Elevationem Hostiæ.

PRotector noster aspice DEUS, & respiciens in Faciem Christi Tui, miserere mei & omniū, qui meo suffragiō indigent.

Ad Elevationem Calicis.

O Pater Cælestis! EnSanguis Christi Tui, Fratris nostri clamat ad Te de terra non vindictam, sed clementiam.

APPLICATIO MISSÆ
Pro Defunctis.
Memento Mortuorum.

1. Animarum Parentum, Fratrum, Sororum, Consanguineorum, & omnium amicorum meorum.

2. Animarum omnium Benefactorum meorum, in Spiritualibus & temporalibus.

3. Animarum omnium Pontificum, Sacerdotum, & Ministrorum Ecclesiæ Dei Catholicæ.

4. Animarum omnium improvisa morte corporibus exutarum.

5. Animarum quarum non est specialis memoria.

6. Animarum omnium existentium in Purgatorio.

7. Animarum omnium, mihi in genere & specie commissarum.

8. Specialiter Animæ N.N.

In Actu Communionis ad utilitatem eorum qui piè immorari cupiunt.

VIvo ego jam non ego, vivit verò in me Christus, Rex Regum & Dominantium. Laudate Dominum omnes gentes, Laudate eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum.

Post sumptionem Hostiæ.

SAlve Hospes jucundissime, mane in corde meo quod tibi dedico in æternum; & cum illo accipe memoriam, intellectum & voluntatem.

Post

Post sumptionem Sanguinis.

Psal: 22. Parasti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulant me. Tribulant me Domine caro, sathanas & mundus, utinam hac mensâ refectus fortis & formidabilis efficiar contra eos qui tribulant me, & in fortitudine cibi hujus perveniam usq; ad montem DEI.

Gratiarum actio post Missam.

Postquam piissimus Dominus Turbas in deserto pane miraculosè multiplicatô refecisset, reliquias & fragmenta colligi jussit. Quorum obsecro, tanta Salvatoris solicitudo in coadunandis parum frustulis? siquidem tanta cum felicitate panes integros multiplicabat. Nimirum voluit per hoc nos docere Dominus quod pane Eucharistico refecti fragmenta colligere, idest devota cum recollectione tantùm debeamus meditari beneficium. Quod olim dicebat Jacob cum Angelo colluctans. Non dimittam te, nisi benedixeris mihi *Genes: 32. Hoc etiam tempus convenientissimum est ad proponenda vota & desideria nostra gratiasq; Divinas obtinendas, quo manet nobiscum Angelorum Dominus. Quem ergo amplius pigebit sequentem Gratiarum actionem post Missam, tum varias petitiones devotè recitare.*

GRATIARUM ACTIO
Post Missam.

Antiph: Trium Puerorum cantemus Hymnum: quem cantabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum. Quæ Antiphona in Festis duplicibus tantùm duplicatur, & tempore Paschali additur in fine Alleluia.

Canticum Trium Puerorum.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite Cæli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt Domino: bedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite Sol & Luna Domino: benedicite Stellæ cæli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnis Spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æstus Domino: benedicite frigus & æstas Domino.

Benedicite rores, & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Domino: laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete & omnia quæ moventur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cæli Domino.

Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite Servi Domini Domino.

Benedicite Spiritus & animæ justorum Domino: benedicite Sancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento Cæli: & laudabilis & gloriosus &, superexaltatus in sæcula.

Psalmus 150.

LAudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus. Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eũ secundùm multitudinē magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in Psalterio & Cithara.

Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in Cymbalis bene sonantibus, laudate in Cymbalis jubilationis: omnis Spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri & Filio, &c,

Deinde reperitur Antiphona.

Trium Puerorum cantemus hymnum quem cantabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Deinde Sacerdos dicit.

Kyrie eleison, Christe eleison.

Kyrie eleison, Pater noster &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Confiteantur tibi Dñe omnia opera tua.

℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabant Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

℣. Non nobis Domine.

℟. Sed Nomini tuo da gloriam. ℣.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS qui tribus Pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio à Te semper incipiat & per te cæpta finiatur.

Da nobis quæsumus Domine vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui Beato Laurentio, tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Discipulus: *Senio confectus interrogat. Ex gratia Dei spero me brevi secundas Primitias celebraturum; Qualem præparationem adhibebo?* ℟. *Æqualem ut ad primam Missam seu* 1mo *Fac Recollectiones quinq; vel octo dierum.* 2do. *Communionem particularem vel generalem,* 3tio. *Ritus servandus in celebratione Missæ ante perlegatur.* 4to *Præparatio ad Missam inferius proposita non omittatur.* 5to. *post solemnitatem devotionis hospitalitatem sectans senes cum junioribus Presbyteris*

(me

(*me in convivio Altaris non omisso*) *vultu hilari invitabis.* Discipulus *Charissime Condiscipule fateor quia jam viribus destituor.* Condiscipus *Affirmat sermonem tuum Sapiens Cap:* 4. Senectus venerabilis est, non diuturna, cani sunt sensus hominis & ætas senectutis vita immaculata. Discipulus: *Quomodo hanc vitam immaculatam comparare?* 1mo. *Respondet tibi S. PAULUS* 1. *Tim.* 4. Exemplum esto fidelium in conversatione, in charitate & castitate. 2do. *Testamentum animæ perlege.* 3tio. *Testamento etiam temporalium in quo potes tu setisfac, erit exemplum bonum majus meritum, & Executores in parte exonerabis, seu: quodcunq; potest manus tua instanter operare, beati enim mortui quos opera bona sequuntur. Noli autem quærere aliena cum operibus misericordiæ claustra & Xenodochia, habes non dubito pauperes in tua Parochia quos olim forsan depactasti & nonnullos ex antiquis Benefactoribus tuis nunc à fortuna derelictos. Memorare etiam quòd hæc Ecclesia ad quam resides, te dotavit, huc usq; nutrivit, unde ingratitudo summa foret ad alias pia Legata. Testamento destinare & hanc pauperem relinquere.* 4to. *Si tantùm manus trementes & pedes vallantes quotidianam celebrationem impediunt, baculô debiles*

sustenta pedes & Templum frequenta audiendi Missam, ad imitationem S. Casimiri pia cum meditatione Mysteriorum Passionis Dominicæ: *v.g.* Egressus è Sacristia ad Altare. *JESU de cœnaculo ad hortum Gethsemani progrediens; da mihi piâ tantùm recreatione uti.* Descensus ab Altari *JESU à Discipulis ad orandum avulse avelle à me tumultum sæculi ut mentalem & vocalem orationem semper quieto corde peragam.* Confiteor *JESU in horto mœrens in terram prostrate Patrem orans, Sanguine sudans, ab Angelo confortate in voluntatem Patris te resignans. Da patientiam Domine & in voluntate tua deduc me.*

Ascensus ad Altare *JESU hostibus tuis obviam prodiens. Conforta me, ut non timeam eos qui occidunt corpus, sed te qui potes & animam & corpus perdere in gehenna?*

Osculum Altaris *JESU à Juda fraudulento osculô tradite, capte, ligate, à Discipulis derelicte, libera me à vitio hypocrisis.*

Introitus *JESU in domo Annæ crudeli alapâ percusse. Condoleo super tua contumelia, aufer à me opprobrium & contemptum.*

Kyrie eleison *JESU à Petro ter negate. Nolo te negare coram hominibus, ne me negaveris coram Patre tuo.*

Gloria in excelsis *JESU coram Caipha &*

maligno

maligno Consilio, falsò accusate, alapîs & colaphîs pecusse, conspute reusq; mortis judicate. Parce judiciis temerariis detractionibus & injustis vexationibus proximi.

Dominus vobiscum *JESU Petrum lapsum respiciens eumq; ad amaras lacrymas adducens, Peto donum lacrymarum ut defleam die ac nocte delicta vitæ meæ.*

Collecta Epistolæ &c. *JESU in fœtidum carcerem conjecte ibiq; tetro odore ac multis injuriîs & opprobriîs tota nocte propter nocturna hominum scelera atrocissimè divexate. DEUS propitius esto mihi peccatori & auxiliator contra vitia. Profundissime autem suspiro, ut non veniam in illum carcerem æternum dæmonibus & peccatoribus designatum.*

Evangelium *JESU ad Pilatum in vinculis adducte, iniquè accusate, multîs opprobriis & blasphemiîs afflicte. Solve me ex vinculis peccatorum & suscipe in libertatem Filiorum Dei.*

Symbolum *JESU ab impio Rege Herode veste alba indute, sprete, & illuse. Mæreo super improperiis & irrisione tua.*

Offertorium *JESU ad Pilatum reducte vestibûs denudate, ad columnam alligate, flagrîs crudeliter cæse & lividis cruentisq; plagîs toto corpore cooperte. Cooperuit confusio faciem meam quia videns te crudeliter flagellatum, non castigo corpus meum.*

Infusio Calicis *JESU ſpinis coronate, chlamide purpurea indute, arundine percuſſe, innumeris opprobriis ſalutate. Multiplicatæ ſunt iniquitates meæ ſuper capillos capitis mei, per ſpineam coronam tuam diſperge omnes.*

Oblata cruce ſignans *JESU de ſuggeſtu prætorii populo oſtenſe, Barabbæ latroni poſtpoſite, ad Crucem horrendis clamoribûs poſtulate. Pilatus te flagellîs cæſum, ſpinîs coronatum, amictu irriſoriæ veſtis indutum oſtentavit, ut omnes perſequentes te emolliret. Illacrymor quod hæc ſpecies invidos non inflexit ad commiſerationem animos, & precor enixè ut emolliat cor meum ad pœnitentiam & amorem tuum.*

Lotio manuum *JESU ad Crucem à Pilato condemnate, & gratias pro decreto hoc DEO Patri agens. Hujus Decreti recordare & noli me condemnare.*

Inclinatus Sacerdos orat in medio. *JESU Cruce onerate, ſub cujus pondere tam graviter propter mea peccata cadis. Statuo firmiter in poſterum me à lapſu in peccatum mortale cuſtodire.*

Orate Fratres *JESU Matri Sanctiſſimæ & piis mulieribus valedicens ac Veronicæ faciem in linteo expreſſam relinquens. Quando moriturus mundo & hominibus valedicam, de-*

ſiaero;

sidero; ut ante oculos mentis & corporis sola mihi Passionis tuæ Imago præsentetur ad consolationem & salutem.

Præfatio *JESU montem Calvariæ cum Cruce conscendens. Tolle in me Crucem tribulationem ut ascendam in montem S. tuum.*

Sanctus Sanctus *JESU ad supplicium Crucis præconizate. Annuntiabo populo scelera eorum propter quæ Cruci præconizatus es, ut te novis rursum non crucifigant.*

Osculum Altaris *JESU Vinô Myrrhato cum felle mixto potate. In memoriam hujus potus propono mortificationem nonnunquam servare in cibo & potu. Parce excessibus præteritis.*

Cruces super oblata formantur *JESU Crucem pro te configendo terebrari & clavos malleosq́ expediri intuens. Da mibi banc gratiam efficacem quam dedisti latroni pænitenti & aliis dolentibus Passionem tuam.*

Memento *JESU Coronâ spineâ, vestibûsq́ spoliate, in Crucem prostrate & Passionem tuam pro nobis Patri offerens. Ego quoq́ præsentem Passionis tuæ meditationem DEO Patri in satisfactionem vitæ meæ peccaminosæ tibi verò in reciprocum amorem offero.*

Communicantes *JESU Electorum tuorum ante Crucifixionem singulariter memor, Obsecro misericordiam tuam annumera me Electis tuis.*

Expan-

Expanduntur manus super oblata *JESU in Cruce extense & in Sacro pectore disrupte, ac in totis artubus divulse. Per hunc dolorem acerbissimum non perdas corpus meum peccaminosum & animam in gehennam.*

Cruces formantur *JESU in manibus pedibusq; vulnerate & Cruci confixe, ac spinea Coronâ ultimo redimite, sepias aures meas spinis, ut nihil audiam præter vocem tuam,*

Elevatio Hostiæ *JESU in Cruce elevate, in profundam scrobem demisse, Hostiam Te DEO Patri pro nobis immolans. Accipe memoriam intellectum voluntatem in hostiam Tibi acceptabilem.*

Elevatio Calicis *JESU copiosum Sanguinem de vulneribus profundens. Obsecro ut in Saguine Tuo dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.*

Cruces formantur post Elevationem. *JESU innumeris blasphemiis & opprobriis in Cruce saturate. Parce blasphemis cogitationibus meis.*

Osculatur Altare inclinatus *JESU pro tuis hostibus Patrem deprecans erubesco quoties immemor hujus exempli odiô gravi prosequebar inimicos.*

Cruce signat Hostiam & Calicem & se. *JESU vestimenta tua inter milites dividi cum*

dolore intuens. Doleo quod vestem candidam in Baptismo acceptam eousq; non conservavi.

Memento mortuorum *JESU latroni Paradisum promittens Matri Joannem & Joanni Matrem commendans. Commendo me Tibi nunc & tuis dilectis amicis sub Cruce stantibus viventem morientem & mortuum, ut miserearis mei omni tempore quod memoravi.*

Nobis quoq; peccatoribus *JESU derelictum Te à DEO Patre conquerens. Per hanc angustiam peto à te ut in angustiis nostris non derelinquas nos Domine DEUS noster.*

Sgnat oblata *JESU sitio gemebundè clamans. Parce quoties esurientibus & sitientibus pauperibus non subveni.*

Signat Hostiâ Calicem *JESU felle & acetô in siti ardentissima potate. Parce gulis & ebrietatibus meis.*

Cooperit Calicem *JESU consummatum est edicens. Miserere mei in ultima consumatione exitûs mei.*

Pater noster *JESU in manus DEI Patris Spiritum tuum commendans. Per hanc pretiosissimam mortem precor te in novissima hora exitûs mei suscipe ad te revertentem spiritum meum.*

Patenâ se signat: eamq; Hostiæ supponit.

JESU inter atrocissimos dolores in Cruce

per separationem animæ à corpore moriens. Mihi morienti inter tædia, dolores & pavores esto consolator & Salvator.

Particulam Calici immitit *JESU secundùm animam in limbum descendens. Miserere animarum purgatorii præcipuè suffragium à me expectantium.*

Agnus Dei 1mo *JESU lanceâ in latere transfixe,* 2do *à Centurione pro justo* 3tio *à turba pro Filio Dei agnite. Agnosco te Creatorem & Redemptorem meum & precor ut ab hac fide nunquam excidam.*

Inclinatus Sacerdos orat *JESU ut Corpus Tuum Sactissimum de Cruce deponeretur, à Pilato postulate, & impetrate. Non pustulo pompam funebralem sed deprecor te ut Tua mors sit vita mea.*

Panem Cælestem *JESU à Josepho & Nicodemo de Cruce deposite. Peto ut sim alacer obsequium præstare defunctis.*

Domine non sum dignus *JESU in ulnis dolorosæ Virginis Matris collocate, ejusq; lacbrymis amarissimis perfuse, aromatibus à Nicodemo & Josepho inuncte, syndone mundo involute. Da mihi amorem & timorem tuum ut semper munda conscientiâ suscipiam Te in ma Eucharistia.*

Sumptio

Sanctissi

Sumptio Hostiæ *JESU à Dilectis tuis Amicis cum funebri luctu Sepulchro illate & tumulate. Obsecro ut per mortem & sepulturam tuam omnes fideles tui ad Resurrectionis gloriam perducamur.*

Sumptio Calicis *JESU cujus pretiosum Sanguinem dispersum, Angeli cum magna reverentia collegerunt, & honorificè adorârunt, usq; ad Resurrectionem asservârunt. Parce si quando per incuriam sub celebratione aut distributione Communionis amisi aliquam particulam.*

Post-Communio *JESU gloriosè ex monumento resurgens. Suscita me ab operibus mortuis*

Dominus vobiscum *JESU post Resurrectionem tuam primùm Matri Sanctissimæ, deinde Magdalenæ ac Discipulis apparens. Per amorem amicorum tuorum Cruci fideliter astantium quibus nunc apparuisti: fac nos Presbyteros de peccatoribus justificatos de inimicis amicos tuos fideles.*

Collecta *JESU per quadraginta dies post Resurrectionem Tuam cum Discipulis conversate. Desidero ut conversatio mea ædificet proximos, consoletur afflictos, lætificet DEUM.*

Ite Missa est *JESU Discipulos è cænaculo in Montem Oliveti educens. Nunquam à prandio & cæna sine gratiarum actione recedam, parce quoties ingratus donorum tuorum.*

Benedicat vos *JESU Discipulis valedicens eosq; benedicens & in Cœlum cum gloria ascendens. Sequar te vivens imitatione & piis affectibûs & tandem consequar in Cælum.*

Evangelium S. Joannis *JESU Spiritum S. in Discipulos è Cælo mittens eisq; variarum genera linguarum ad Evangelium prædicandum tribuens. Da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de Ejus semper consolatione gaudere.*

Discipulus: *Quod si pedes movere non potero ad Ecclesiam.* ℟. *Aliquâ horâ matutinâ confer te in spiritu ad Templum, & intentionem tuam omnium Christianorum intentionibus affectuq; pluribus etiam Missis adesse opta. & eosdem Actus interiores diu in loco in quo versaris, quos eliceres si realiter Sanctæ Missæ aut officio aliquo in Templo interesses.*

Discipulus: *Noctes etiam duco insomnes* ℟. 1mo. *sub tali tempore Regius Propheta an*nos æternos in mente habuit. *Tum* media nocte surgebat ad confitendum Domino. 2do. *Quoties nocte gallus cantavit, toties Petrus negationem deploravit. Tu similiter recogitando in amaritudine annorum tuorum culpas & forsan negligentias in Cura animarum, amaris dilue lachrymîs.* 3tio *In Officio Divino quæ recitasti, revoca in memoriam.* 4to. *Memorare novissima tua qualia sunt:*

Mors,

Mors, Judicium, Gehenna, Gloria Cœlestis.
5to. *Habeto in promptu Orationes jaculatorias.*
6to. *Recita vel decanta aliquem Psalmum.*
7mo. *Revoca in memoriam noctem illam Sacratissimam, in qua viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri seu Historiam Nativitatis Domini, & super singula Mysteria piè meditare, altè suspira, & suaviter obdormies. Itaq; tu & omnes quotquot afflicti estis, sive afflictis ex corde compati desideratis, consolamini in verbis istis 2. Thess. 4.*

Actus Fidei, Spei, Charitatis.

vide hic à principio. Studium *Preces Matutinas devotè recitandi.*

LAUS SS. SACRAMENTI.

LAudetur Sanctissimum SARCAMENTUM, tot laudibus, quot in Cælo stellæ, in in igne scintillæ, in àére athomi, in mari guttæ, in terra pulveres: quot in vere flores, æstate grana, autumnô folia, hyeme nives & grandines: quot corporeæ in Universo sunt Creaturæ, quia dignus es, Domine Universorum qui sub corporeis vini, panisq; speciebus lates, vere tu es DEUS absconditus.

De Com-

De Communione populi generatim.

De pueris, & rudibus ad Sacram Communionem parandis & instruendis, vide libellum Instructio Pastoralium f. 166. Item ad quid communicans attendere debet.

EXpedit plurimùm: ut sub initium Quadragesimæ per adituum singulas ædes Parochianorum tuorum obeas, & Catalogum conficias, tam eorum, qui aliquando communicárunt; ut an satis faciant præcepto Communionis Paschalis rationem inire possis: quam eorum, qui necdum quidem ad Sacram mensam accesserunt; vindentur tamen per instructionem reddi posse capaces atq; idonei. Sunt autem hæc de quibus diligenter instruendi sunt, vel in Templo cùm doctrina Christiana traditur, vel privatim in Scholis à Magistris aut domi à Parentibus. 1. Quid sit Sacramentum Eucharistiæ? Quid contineat? Quod in illa communicantes non jam panem aliquem profanum: sed sub specie panis Christum sumant. 2. Sub una specie totum Christum, totumq; Sacramentum sumi. 3. Cavendum, ne vel minimam particulam Hostiæ excidere sinant, nimirum totum Christum æquè in particula minima, atq; in magna Hostia contineri. 4. Monendi præterea, ut cum conscientia peccati morta-

mortalis accedere minime audeant, proditoris Judæ hoc ſacrilegium fuiſſe; ideoq; probent ſe ante, & Sacra Confeſſione ſi opus ſit expient. 5. Ita ſint jejuni ut à media nocte nihil omninò aut cibi, aut potûs ad ſtomachum transmiſerint 6. Corporis habitu, & ſitu ad pietatem compoſito, & qua par eſt, fide, humilitate, modeſtia, reverentia ad menſam Sacram accedant, capite non abjectè demiſſo; ſed decenter erecto, oculis ſubmiſſis, ore non hiante, neq; occluſo: in Sacram Hoſtiam non irruant, ſed è Sacerdotis manu, linguâ non nihil ad labium exteriùs protensâ excipiant, dentibus non terrant, eâ verò ſumpta aliquid temporis permittant orationi, neq; mox ſpuant, neq; ſtatim foras ad confabulationes, aut ad cibum ſumendum exeant· eum deniq; diem in rebus Divinis, ac Sacris operibus piè tranſigant: Multa in hoc genere non tantùm à pueris, ſed etiam grandioribus; præſertim ruſticis & ineruditis peccantur. Duo etiam inculcanda; Unum ut fœminæ, præſertim puellæ ditiores, non veniant comptulæ, & ad vanitatem compoſitæ: ſed velatæ, & in modeſto veſtitu; cervicem aut pectus non denudent. Communicaturi manus junctas teneant, neq; ori, aut illas, aut ſtrofiolum, ſumptâ Hoſtia admoveant: deprehenſi enim qui Euchariſtiam ore

receptam

receptam ad abusum extulerunt .Multum autem refert, primùm communicaturos ista omnino diligenter prænosse: ferè enim ita pergunt, ut cœperint. Porrò certa ætas definiri non potest, quâ, qui adoleverint, ad Sacram Communionē admitti debeant, aut ex præcepto Ecclesiæ ad eam teneantur. Expectanda enim præter necessariam hujus mysterii notitiam, discretio & maturitas quædam tum judicii, tum morum: quæ aliis citiùs aliis tardiùs obvenit: quidam anno decimo maturescunt, alii ne duodecimo quidem; alii educati honestiùs, aut à Parentibus, aut Magistris edocentur; alii Parentum vel Magistrorum incuriâ aut inscitiâ, hebetes adhuc sunt, egentq; ætate, & eruditione longiore. Hoc certum est, plus ad sumendum digne hoc Sacramentum requiri prudentiæ, & gravitatis, quàm ad Sacramentum Pœnitentiæ. Si puer tibi ignotus se ad communionem temerè præsentet, quære an sit confessus & instructus; Apud Dianam opinio est nonnullorum non teneri pueros ante pubertatem præcepto Ecclesiastico, verum præceptum Confessionis mortalium, & Communionis in articulo mortis non Ecclesiasticum: sed Divinum est; ideoq; pro eo tempore, qui capaces sunt, etiam ante pubertatem tenentur.

Ad quid Communicans attendere debeat?

Sæpè in administratione hujus Sacramenti

errores graves accidunt: si minister ad rem non sit valdè attentus; nihil enim faciliùs quàm ut particulæ sacræ desiliant, aut excutiantur; præsertim cum simul multis administrandum, iisq; rudibus & inattentis: quo tibi incumbendum magis, ne aut præcipitanter, aut temerè negotium tam serium tractes. Advertendum igitur, ne dum Sacram Hostiam porrigis ad labia, aut dentes allidas, aut ne digitos salivâ inficias, si madefeceris, purificatorio deterge, priùs tamen vide, ne quid Sacræ Hostiæ tibi adhærescat, quod tibi excidat: eandem cautellam adhibe cum finita communicatione digitos in vasculo abluis: si autem adhærescentem digitis particulam adverteris, vel sume, si es jejunus, vel repone in Ciborium seu Pixidem, si non es jejunus: Multùm facit ne particulæ excidant: (si quod superius monui) cures Hostias minores, priùs quam consecrentur esse mundas; atq; à minutiis cohærescentibus diligenter per purgatas, uti & Ciborium; quod propterea expurgare subinde debebis, cùm fragmenta in eo deprehendes, aut ejusmodi minutiores particulas. Expurgandi autem hic modus esse potest; hostias integras sepones interim: post sumptionem Calicis Vinum accipies in pixidem in qua eæ sunt particularum minutiæ; eam ablu-

tionem

tionem 1mam, & deinde secundam effundes in Calicem pro ablutione illius & sumes, & tum si quas integras sepofuisti, repones in Pixidem. Porrò si qui defectus acciderint inter communicandum, Missale Romanum consule & errores emenda.

De Hostia tui sacrificii majore, ne partem communicaturo dividas, mos Ecclesiæ non patitur, nisi gravis aliqua causa excusaret: neq; pro tuo Sacrificio particulam consecres, æquè mos repugnat, & populus offenderetur, si in Missa particulam elevares adorandam.

Quibus danda, aut neganda Communio?

Amentes à nativitate, & pueros alios necdum sufficienter instructos arce ab hac mensa: nam mors particulas Sacrarum Hostiarum remanentes distribuendis pueris jam exolevit; curandum tamen, ut pueri, si de vita periclitentur, instruantur, & præcepto Divino satisfaciant. Omnino fatui etsi aliquando ratione usi sunt, repelluntur, nisi in intervallo lucido deprehendantur, & modò credantur, ad sumendam Eucharistiam dignè dispositi; neq; periculum subsit irreverentiæ. Semifatuos admittes si petant, & utcunq; instructi de mysterio hujus Sacramenti, & ritè similiter dispositi videantur, saltem cùm urget præceptum vel Ecclesiæ circa Pascha, aut Divinum in mortis articulo.

A dæmo-

A dæmone obsessis, nisi quid aliud obstet, cùm res postulabit Eucharistiam imperties, itemq; damnatis ad supplicium mortis: indecentia præcaveri potest, si aliquot horis ante supplicium prævertas, & des jejuno, si neq; ista prævisa aut provisa sint; non video quid magis illos jejunium fractum impediat, quàm alios è morbo moribundos, Carnifices, Lictores, Leprâ, Cancrô, alioq; morbo contagioso, vel horrendo infectos, malim ut privatim communices, aut saltem è singulari vasculo ablutionem accipiant: ne aliis periculum, aut saltem horrorem, & stomachum moveant,

N.B. *Parochus ex officio tenetur curare, ut Eucharistia in loco decenti & honorifico asservetur, & frequenter (novam Hostiam imponendo, & antiquam sumendo) renovetur, ne species corrumpantur. Et hoc meritò debet fieri hebdomadatim, vel saltem omni quindena.*

Ob reverentiam Augustissimo Sacramento debitam; ex generali consuetudine continuò diu noctuq; ante Venerabile debet ardere lampas; cujus curam Parocho (& cum eo æditus) uti & Superior Monasterii gerere debet. Qui facilè culpam mortalem committere possunt, si nulla causa v.g. inopia, excusante uno alterove die (præsertim cum scandalo) Eucharistiam scienter

relin-

relinquunt ſine lumine. Idem eſt de æditvo, ſi relinqvat lampadem extinctam per tres dies aut 4. noctes. Vide Tribunal Confeſſariorũ R. Patris Wigandt *Tractatu 12. Fol: 355.*

LITANIÆ
DE BEATO JOANNE CANTIO.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Pater de Cælis Deus Miſerere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus Miſerere no:
Spiritus Sancte Deus Miſerere nobis.
Sancta TRINITAS unus Deus Miſerere n.
Beate JOANNES CANTI, Ora pro nobis.
Vir Inclyte,
Pater Clementiſſime
Myſtes Optime,
Confeſſor Venerabilis,
Famule Jesu Chriſti,
Deiparæ Virginis Cultor,
Mentium Beatarum imitator,
Hæres Cæleſtis,
Polonorum Decus.
Incola & tutor Cracoviæ,
Alumne S. ANNÆ,
Honorificentia populi Chriſtiani,
Fax virtutum,

(Ora pro nobis.)

Specu-

Speculum innocentiæ,
Regula perfectionis,
Sacrarium timoris Domini,
Operator Miraculorum,
Suscitator mortuorum,
Firmamentum Academicum,
Doctor pacis,
Gloria Sacerdotum,
Sidus fulgens Ecclesiæ,
Contemptor mundi,
Domitor carnis,
Victor Sathanæ,
Patrone Studiosorum,
Magister ignorantium,
Lucerna ardens amore proximi,
Salus infirmorum,
Nutritie pauperum,
Refugium afflictorum,
Lumen cæcorum,
Vita morientium,
Liberator captivorum,
Exorator peccatorum,
Portus naufragantium,
Custos peregrinantium,
Auxiliator parturientium,
Præco Judicii Divini,
Tutelaris & Patriarcha noster,
Consors Sanctorum omnium,

Ora pro nobis.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nos ab omni calamitatum genere custodire digneris, Te rogamus audi nos.
Ut toti Regno, Ecclesiæ & Academiæ patrocinari digneris, Te rogamus audi nos
Ut nobis pacem, gratiam & vitam æternã impetrare digneris, Te rogamus &c.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, &c. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, &c. Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison.
Kyrie eleison.

Pater noster. Ave Maria.

Ora pro nobis Beate Joannes Canti.
Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO

DA quæsumus Omnipotens, & misericors DEUS, ut Beati Joannis Confessoris tui exemplô, misericordiam aliis exhibentes, meritis ejus apud te misericordiam cõsequamur. Per Dñum nostrum &c.

Antiphona.

Optavi & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me Spiritus sapientiæ. *Sap:* 7.
℣. Stude sapientiæ Fili mi.
℟. Et lætifica cor meum. *Prov:* 27.

ORA-

ORATIO

DOmine JESU Christe, qui in laboribus à juventute cum esses, laborantes etiam convocas ad te: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Laborantes itidem in Vinea Tua nos indignos famulos tuos refice gratiâ tuâ & benedictione hic in præsenti, & post hoc assiduum pulchritudinis studium emundati & emendati, meritis & precibûs Beati Joannis Cantii mereamur æternam in Paradiso Cælesti requiem & recreationem, ubi tecum sine fine lætemur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino ℟. Deo gratias.
℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Ad S. BLASIUM

Contra ulcera gutturis.

CLementissime JESU, qui fidelibus tuis ad curandos gutturis morbos famulum Tuum Beatum Blasium Episcopum & Martyrem Auxiliatorem eximium providere, eiq;

eiq; supplicanti salutarem omnium ipsum invocantium petitionis effectum promittere dignatus es: respice propitius ad humilitatem nostram, & suffragantibus meritis Ejus, qui pro Te sanguinem fudit, omnia adversantia gutturi mala à nobis propiciatus averte. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum Amen,

ORATIO
Ad S. MARIAM NAGDALENAM.

GRatias Tibi ago benignissime JESU, pro illo pietatis opere, quod Beata Maria Magdalena Tibi exhibuit, quando lachrymis pedes tuos rigabat, & capillîs capitis sui tergebat, eosq; osculabatur, & ungvento ungvebat, ex quo tantam charitatis tuæ abundantiam cordi & animæ infudisti, quod extra Te nihil posset diligere: rogans meritis ejusdem lacrymas veræ pænitentiæ mihi concedere digneris Añ.

Ad S. BARBARAM.

Henricus Koch ad ossa usq; exutus sequenti Oratione obtinuit esse superstes usq; dum confiteretur & communicaret. De Vita S. Barbaræ.

O Sanctissima Virgo Barbara, quodcunq; viribus Sponsi tui potes, mihi in mortis articulo, obsecro ut suppedites: adjuva

me

me miserum, ne in peccatis moriar. Effectum tunc habeat tua intercessione primitus à Christo tibi facta promissio, cum fidem ejus tuo sanguine consecrares. Redeat in memoriam Sponso tuo Virgineus collô tuo exuberans sanguis; Recordetur ardentissimæ charitatis, nec animam meam à corpore exire permittat, nisi confesione expiatam & Sanctissimo Eucharistiæ Sacramentô refectam Amen.

ORATIO
AD S. APOLLONIAM.

DEUS pro cujus honore Beata Apollonia Virgo & Martyr amaram & horribilem dentium excussionem sustinuit, præsta quæsumus: ut qui ejus memoriam pia devotione frequentant, eos à tetro dentium dolore immunes custodias, & ad gaudia vitæ æternæ pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

DEVOTIONES
Ad S. JUDAM THADÆUM APOSTOLUM.

Antiph: Qui timet DEUM, faciet bona, & qui retinens justitiæ est, apprehendet illam, & obviabit illi, quasi mater honorificata. *Eccl: 15.*

℣. Sancte JUDA Patrone fidelissime,
℟. Placato nobis DEUM clementiæ.

OREMUS.

DEUS, cujus bonitas & clementia exhauriri non potest, aures bonitatis tuæ, famulorum famularumq; tuarum precibus inclina & præsta: ut omnes, qui te in Apostolo tuo JUDA Thadæo devote recolunt, meritis ejus efficacibus petitionis suæ effectum consequantur, Amem.

Devotio ad S. DISMAM pœnitentem Latronem, agonizantium Patronum.

Antiph: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, à modò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis. *Apoc:* 14.

O Disma Latro Pœnitens,
Lectissime Patrone!
Sis mihi Tutor moriens,
Dum luctor in agone.

SAncte Disma, qui mirâ Dei Providentiâ ex nefario Latrone in eximium pœnitentiæ speculum evasisti, & paucas intra horas æterna tibi gaudia comparasti, aspice de sublimi gloriæ tuæ throno in hanc vallem miseriæ. Recordare, o Sancte mirabilis! mentis humanæ fragilitatis, ad malum semper, quàm ad bonum, magis proclivis; recordare, & pro nobis ad DEUM appella, ut sicut per gratiam suam effi-

cacem

cacem ad pœnitentiam, & paradisi Cælestis gloriam te perduxit, ita nos famulos suos & famulas, eadem efficaci gratia ad dignos pœnitentiæ fructus impellat; ut peccata tecum abolentes, piè tibi commoriamur, ac unà tandem in Deo salutari nostro perenniter exultemus, Amen.

ORATIONES JACULATORIÆ in studio.

Ad hoc homo erectus à DEO creatus est, ut in Cælo velut Divino quodam libro legeret & agnosceret suum Creatorem, quod vel Æthnici observaverunt ut Ovidius canens:

Os homini sublime dedit Cælumq; tueri
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.

CHristiani autem viri non solùm vultus sed & pios cogitatus frequenter in Cælum levabant: Ut S. Martinus Episcopus Turonensis: oculos semper in cælum intentus erat, *ita ut à quibusdam* suspex Cæli appellaretur. *Et S. Augustinus non solùm Cælum, sed & res varias creatas aspiciendo, pios motus sentiebat, quos & ore depromebat, velut Lib: 12. Confess: Cap:* 10. Cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt, undiq; mihi dicunt ut Te amem Domine, necessant dicere omnibus, ita ut inexcusabiles sint. *Studiose perfe-*

ctioris

ctioris vitæ Neopresbyter rarò cum Socio (ut Religiosi) frequenter solus aut incedis aut discedis. Dæmones autem ut quidam latrunculi iter nostrum obsident. Ne tædio afficiaris, aut capiaris in aliqua cogitatione obnoxia, disce Actus Jaculatorios, scutum erunt bonæ voluntatis, & pennæ sub quibus sperabis securitatem mentis & corporis.

ORATIONES JACULATORIÆ.

Cuivis tempori, loco & occasioni servientes. Sunt autem breves quædam & fervidæ mentis in DEUM elevationes quarum usus perutilis est ad promovendam devotionem, modo voci non desit cor. Possunt autem esse hæ, vel similes, quas pia anima adinvenerit.

Actus Fidei.

In fide vivo Filii DEI, qui dilexit me, tradit semetipsum pro me.

Spei.

In Te Domine spero non confundar in æternum. *Psal: 20.*

Bonum est confidere in Domino: quam confidere in homine. *Psal: 115.*

Charitatis.

Diligam Te Domine virtus mea, firmamentum meum, & liberator meus. *Ps. 17.*

Tunc verè DEUM diligis, si pro amore illius bona quæ potes operaris. *S. Bernar.*

Contritionis.

Miserere mei DEUS, secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. *Psal. 50.*

Ante Sacrificium Missæ.

Eamus & sacrificemus Deo nostro. *Exod: 5.*

In ingressu Cœmeterii.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. Requiescant in pace Amen. *Dum tendis ad Ecclesiam.*

Introibo in Domum tuam Dñe, adorabo ad Templum S. tuum in timore tuo. *Ps. 5.*

In aspersione aquæ lustralis.

Asperges me Dñe hyssopo & mundabor: lavabis me & super nivem dealbabor. *Ps. 50.*

Ante Concionem.

Loquere Dñe: quia audit servus tuus *1 Reg: 13.* *Sub prandio.*

Satiabor cum appuruerit gloria tua Dñe, *Ps. 16.* *In aspectu volucrum.*

Volatilia cæli non serunt neq; metunt & Pater Cælestis pascit illa. *Math: 6.*

In aspectu fluminis

Omnes morimur & sicut aquæ dilabimur.

In aspectu Imaginis Crucifixi.

Qui passus es pro nobis, JESU Christe miserere nobis.

In aſpectu Imaginis Sanctiſſimæ Virginis.

Ave gratia plena Dominus tecum. ℣. Salve Regina Mater miſericordiæ.

In aſpectu Imaginis alicujus Sancti.

In terris viſus eſt, ut eſſet exemplo: in Cælum elevatus eſt, ut ſit patrocinio inquit *S. Bernard.*

Cùm vides hominem malum.

Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur; aut ideo vivit, ut per eum bonus exerceatur, inquit *S. Auguſt.*

Dum Cælum conſpicis.

Domine non ſum dignus videre altitudinem Cæli præ multitudine iniquitatis meæ.

Dum animum relaxas.

Ego in Domino gaudebo & exultabo in DEO JESU meo. *Abacuc 3.*

In aſpectu Solis, Lunæ, Stellarum.

Laudate Dominum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen. *Pſal. 148.*

In aſpectu ignis.

Quis ex nobis habitabit cum ardoribus ſempiternis. *Iſaiæ 33. ℣. 14.*

Hic ure, hic ſeca, modò in æternum parcas. *S. Auguſt.*

In tentatione.

DEUS in adjutorium meum intende: Dñe ad adjuvandum me feſtina. *Pſal. 69.*

In adversitate.

Benedic anima mea Domino & noli oblivisci omnes retributiones ejus. *Psal: 10.*

In morbo.

Sic Domino placuit, ita factum est, sit Nomen Domini benedictum. *Job 1.*

In aspectu hominis claudi, cæci &c.

Gratias tibi ago pro corpore meo, quod integris formâsti membris ac sensibus sine ullo naturali defectu.

Occurrente fœmina.

S. Effrem ab occurrente fœmina cùm liberiùs aspiceretur, indignatus dixit: Non pudet te virum tam liberè intueri? Resp. illa: licentiùs mihi virum aspicere quæ de viro formata sum, sed te non fœminam, sed terram aspicere decet, de qua creatus es.

ITINERARIUM PARVUM

JESUS cum MARIA,
Raphàël cum Tobia,
Michàël cum Cælesti curia
Sint nobiscum in via.

Pater noster, Ave Maria &c.

Jesus cum Maria. *repetitur.*

℣. Procedamus in pace,

℟. In Nomine Domini.

In ipso longinquo itinere cantabis aliquem pæanem devotum, aut unum ex Psalmis Davidicis.

Itinerarium in æternitatem.

Deus propitius esto mihi peccatori *Lucæ 18.*
In manus tuas Domine commendo spiritum meum *Lucæ 23.*

ORATIONES
Pro defunctis.

Vespere ad pulsum campanæ genibûs flexis recitans pro animabus in Purgatorio existentibus cum ℣. Requiem æternam, habet Indulgentias adjunctas à CLEMENTE XII. centum dierum. Idem lucratur loco Psalmi, 1. Pater noster *&* Ave Maria *recitans, addendo* Requiem æternam &c.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usq; ad noctem: sperat Israël in Domino. Quia

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Isràél, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam dona eis Domine, Et lux perpetua luceat eis.

℣. A porta inferi,

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟: Et clamor meus ad te veniat.

In die obitus.

ABsolve quæsumus Domine animam famuli tui N. ut defunctus sæculo, tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum. &c.

Pro Episcopis, & Sacerdotibus.

DEUS qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali, seu sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus, ut eorum quoq; perpetuo aggregentur consortio.

Pro defunctis Fratribus.

DEUS veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam

tuam

tuam, ut nostræ congregationis Fratres, propinquos, & Benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beata MARIA semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Pro Patre & Matre.

DEUS, qui nos Patrem & Matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus Patris & Matris meæ, eorumq; peccata dimitte, meq; eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Pro pluribus defunctis.

FIdelium DEUS omnium Conditor & Redemptor, animabus famulorum, famularumq; tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur Per Christum Dominum nostrum. Amen.

CLEMENS VIII. P. M. concessit, neq; ullus Papa revocavit, ut toties liberet, quis animam de Purgatorio, quoties ad honorem S. Sindonis Christi legit sequentem Orationem, uti P. Roas tradit L. de Purgat. C. 16. in hisp. exempl.

ORA-

ORATIO

O DEUS qui nobis in Sancta Sindone, quâ Corpus tuum Sacratiſſimum, de Cruce depoſitum, à Joſeph involutum fuit, Paſſionis tuæ veſtigia reliquiſti, concede propitius, ut per mortem & ſepulturam tuam ad reſurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

Varii modi ſubveniendi defunctis.


1. Per Sacrificia, & Communionem. 2. Per Indulgentias. 3. Per preces. 4. Per Eleemoſynas. 5. Per corporis afflictionem. 6. Per omnia deniq; pia opera defunctis tranſcripta & applicata.

Reperitur etiam liber Polonicus ſub Titulo Skarb Chryſtuſow *in Typographia Collegii Majoris impreſſus in quo per Octavam Commemorationis Fidelium Defunctorum ſingulis diebus ſemper tres modi rari & novi proponuntur juvandi mortuos.*

STU-

Montis Argentini

Nic do zbawienia potrzebnieyszego nieznalazłem iako codzień rozmyslać o Męce Pańskiey. S. Aug.



M. Żukowski Sc. Cracoviæ. A. 1758.

Montis Argentini

STUDIUM

Improborum injurias patienter ferendi.

De patientia locuturus, Fratres dilectissimi, & utilitates ejus & commoda prædicaturus, unde potiùs incipiam, quàm quod nunc quoque ad audientiam, vestram patientiam video esse necessariam: ut nec hoc ipsum quod auditis, & discitis, sine patientia facere possitis? Tunc enim demum sermo, & ratio salutaris efficaciter discitur, si patienter quod dicitur, audiatur. Nec invenio, Fratres dilectissimi, inter cæteras Cælestis disciplinæ vias, quibus ad consequenda divinitus præmia spei & fidei nostræ secta dirigitur, quid magis sit vel utilius ad vitam, vel majus ad gloriam: quàm ut qui præceptis Dominicis obsequio timoris innitimur, patientiam maximè tota observatione tueamur. Stud: *Patientiam mihi suades, ergo jam avulsa non repetenda.* ℟. *Concedit justitia, sed dissimulat patientia, innixa Sacræ Scripturæ Eccl.: 10.* Omnis injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ. *Idem confirmavit Christus Matt: 5. ℣.40.* Ei qui vult tecum judicio contendere & tunicam tuã tollere, dimitte ei & pallium. *S. Ericus Rex in subditos suos adeò clemens & benignus extitit, ut tertiam*

partem

partem pœnarum quæ ad Reipublicæ fiſcum ex conſvetudine pertinebat, ſibi offerentes pia objurgatione ſæpe repulerit dicens: Mihi mea ſufficiunt, vobis veſtra ſervate. *Id ipſum repetit pietas & charitas in nonnullis Superioribus Spiritualibus & ſæcularibus verbo & opere. Patientia & vobis quicunq; cupidi eſtis pulchritudinis internæ & externæ, neceſſaria eſt, non ſolùm in bonorum temporalium jactura, ſed etiam in infirmitate. Nam infirmitates corporales animam ſanitati reſtituunt, eamq; DEO & Paradiſô dignam faciunt. Unde Apoſtolus ait 2. Cor: 2.* Libenter gloriabor in infirmitatibus meis ut inhabitet in me virtus Chriſti. Stud: *Quoniam de infirmitate innuiſti. Si ego vocarer aliquando ad lethaliter vulneratum, quomodo ibi fungar officiô meô?* ℟. *Si veneris ad læſum lethali vulnere; & Chirurgi, aut alii præſentes, dum ſanguinem ſiſtunt, aut medicamentum; ne ſtatim expiret, operosè admovent, tibi nullam moram permittant, ut excipere confeſſionem poſſis: pete ut unum alterumve peccatum ſecretò jam aperiat breviſſimè; vel ſaltem ſigna det doloris, deſideria confitendi iisq; habitis abſolve: deinde capta tempus, ut ſi fieri poſſit integrè confitentem audias, & prout tempus permiſerit de Viatico & Extrema unctione cura, im-*

primis

primis autem age, ut iram ponat, offensam inimico condonet: Christi Sanctorumq; exemplô, sicut & ipse vult sibi à DEO ignosci: in tamen ut intelligat posse Judici rem committi, modò id velit ex zelo justitiæ & boni publici, aut eorum quorum id interest; non ex odio & studio privatæ vindictæ. Si ille qui læsit cupiat coram deprecari, Chirurgum & rationem consule, an expediat ne fortè bilis, aut alii humores ex aspectu & verbis illius commoti vulnus exacerbent, & exulcerent animum; fortè satis fuerit, & tutiùs per Virum aliquem Ecclesiasticum, ejus, qui læsit nomine istud peragi, & læso id satis esse debet. Stud: *Præcavisti ante omnia agendi ut vulneratus iram deponat offensamq; inimico condonet. Obsecro doce me. Quomodo agendum cum illis qui inimicitias deponere noluerint? Gravis hæc tentatio est; unde diversa quoq; media adhibere convenit, ut si unum non proficiat, alterum sortiatur suum effectum.* 1mo *Proponat Sacerdos talibus personis præceptum Christi Dñi Math: 5.* Diligite inimicos vestros, benè facite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in Cælis est, qui Solem suum oriri facit super bonos: & malos & pluit super justos & injustos. 2do. *Proponat exempla-*

rissimam

rissimam mansvetudinem Christi DEI ergæ illos milites qui ad eum capiendum cum gladiis & fustibus venerunt, manum in eum injecerunt, & ligatum trahebant ad Judices & in via immisericorditer tractabant, postea flagellabant, spinîs coronabant, illudebant, tandem Cruci affixerunt, qualibûs illi pœnîs digni erant, quod infernos meruere, tamen Christus JESUS mitem & benignum erga eos se exhibuit, ut etiam in Cruce deprecaretur Patrem pro illis, dicens: Pater dimite illis, non enim sciunt quid faciunt. *Lucæ 23. Illos executores suæ paupertatis reliquit; ideo* diviserunt sibi vestimenta ejus. *Non hic finis benignitatis ejus, sed etiam Titulum Cruci suæ affigendum talem inspiravit* J. N. R. J. *cujus initiales literæ ultra ordinariam interpretationem explicantur etiam taliter:* Jam Non Recordor Injuriam. *Clementiam hanc insvetam audientes multi ex Paganis & persecutoribus, percutientes pectora sua revertebantur ab infidelitate ad fidem, ab odio ad amorem Christi.* 3tio *Tenendo Imaginem Passionis in tua manu dicens: Ecce Christus de Cruce vix non clara voce alloquitur te existentem in mutuo odio cum proximo* Discite à me quia mitis sum & humilis corde. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci & dixi, ita &*

vos

vos faciatis & cum mei imitatore Stephano dicatis. Ne statuas Domine lapidantibus me hoc peccatum. Sinsecus: cor durum malè habebit in extremis.

4to. *Ostendat illi, quòd inimicus sibi potiùs, quàm ipsi nocuerit, similes enim sunt tales homines, qui alicui nocent, vulpeculis Sampsonis, quæ dum segetes Philistæorum accendunt, se ipsas etiam peremerunt. Similes sunt apibus, quæ dum aliis aculeum infigunt, se perimunt. Similes sunt canibus lapidem mordentibus, qui dentes potius suos consumunt, quàm lapidi noceant. Unde potius Hieronymus ad Eustachium ait:* apud Christianos non qui patitur, sed qui facit contumelias miser est.

5to. *Ostendat, quòd si velit vindictam de hoste capere, non posset id meliùs facere, quàm si totam causam suam DEO committat, sic enim ipse DEUS petiit:* Mihi vindicta, & ego retribuam. *ad Romanos C. 12. Unde S. Augustinus in Psal: 106. hortatur omnes.* Ferto injurias, securus esto, facit misericordias DEUS, & judicium omnibus injuriam patientibus.

Stud: *Dominus solus protector meus, vindexq; injuriarum: & ego hunc amorem, & contumelias & injurias quas pro me susti-*

nuit quomodo ei compensabo? *Audi S. Gregorium.* Tantò DEUS ab hominibus digniùs honorandus est, quantò pro hominibus & indigna suscepit. *Honorificavit eum B. Joannes Cantius nam dum medium silentium tenerent omnia, usitatum habuit in Sacrificiis laudum DEO offerendis insomnes noctes ducere, ante Imaginem Passionis Domini in ingressu Collegii tanquam in larario, & coram eadem pronum se proiicere in terram, Dei in carne passi dolorum acerbitatem meditari, peccatorum suorum gravitatem accusare, maculas uberrimis eluere lacbrymis Secutus Beatum Preceptorem Illustris Admodùm Reverendus* M. Joannes Augustynowicz *Philosophiæ Doctor, Decanus Foraneus Scalensis Curatus in Minoga Stationes ad Ecclesiam suam Parochialem introduci curavit, illasq; devota animi alacritate cum populo frequenter flexis genibus defixis in singula Mysteria Passionis Dominicæ oculis, inter profunda suspiria circuibat. Indignus etiam ego Condiscipulus vester compulsus S. Bernardi:* Si piget amare, pudeat non redamare. *in excitando DEI amore in proprio proximorumq; corde totus eram, tum per salutares exhortationes, tum per brevem exhibitionem Dialogi de aliquo Mysterio Passionis Dominicæ sub quo ipsa Intermedia, media fuerunt ad*

conci-

concipiendum timorem & amorem Domini. Et quia amor Dei nunquam est otiosus juxta S. Gregorium, hic ergo operatus est in me quod Hortum Gethsemanum (qui solet esse ad Ecclesias) olim ruinæ subjectum proprio sumptu restaurari & depingi fecerim humiliter sperando: ut qui Imaginem vultus sui eundo sub Cruce in sindone Veronicæ expressit, gratè suscipiet & hoc obsequium meum. Hic excitavit animum Libellum edendi in lucem A. 1747. in quo per totam Octavam Commemorationis OO Fidelium Defunctorum singulîs diebûs proponuntur devotiones, alii & alii modi subveniendi animabus purgatorii. Inquies forsan? adhuc non audivi de hac Octava. ℟. Si reperitur in tua Ecclesia Altare privilegiatum pro Defunctis, disces veritatem ex Authentico Romano.

Amor Dei porrexit dexteram, intellectum dedit mihi parvulo, seu minimo inter vos scientiâ, ad conficiendum alterum Librum non solùm teneræ ætati ad bonam educationem, ast etiam cuilibet homini ad devotionem & perfectionem vitæ apprimè necessarium Hujus etiam effectus est præsens Studium Pulchritudinis vestro statui accommodatum. Hic efficit quia dilexi decorem Domûs Dei; nam eam ornavi Sacrîs Imaginibûs & inscri-

ptionibûs. Similiter in Sacello feci, & duo Altaria deaurari curavi, procuravi etiam Româ Indulgentias pro Novenna S. ANNÆ & Altari Ejusdem Privilegium pro Defunctis. Non miremini neq; insimuletis me de vana gloria, Fratres charissimi, non enim meos sed Gratiæ Dei collaudavi partus. Olim evocaveram ad recreationem vos, nunc ideo memoravi ut videatis etiam & laborem. Domestica illaq; plurima hucusq; adducebam vobis virtutum & bonorum operum exempla, ut magis ad æmulationem & imitationem provocarent.

Stud: *Qualem devotionem assumendam mihi optas* ℟ *Meditationem sive Orationem de Passione Domini. In vita Eleazari Comitis Ariani Cap: 30 legitur, cum aliquando rogatus fuisset, quomodo ad tantam animi mansvetudinem & patientiam pervenisset? Respondit per meditationem Passionis Christi.* Quoties (*ait*) aliquam animi commutationem ad iram & impatientiam sentio, cogito de Christi Passione & patientia, nec ab ea cogitanda cesso, donec per eam detumescat & subsideat omnis animi æstus & commotio. *Inter plurima alia quæ nos ad frequentem Passionis Dominicæ meditationem concitare deberent incitamenta, hoc non postremum censeri debet, quod videlicet hujusmodi*

pietatis

pietatis Christianæ exercitium, mirò modò animæ nostræ promoveat salutem, nosq; de æterna vita capessenda securos reddat. Etenim nihil ita DEUM placat & ad largiendam finalem gratiam movet, sicut devota Passionis Christi frequens meditatio. Augustinus ait: Nihil tam salutiferum est, quàm cogitare quanta pro nobis pertulit DEUS & Homo. *Svadet idem D. Paulus Hebr: 12. ℣. 3.* Recogitate eum qui talem adversùm semetipsum sustinuit cotradictionem. *Ipse Christus allicit per Jeremiam Prophetam Cap: 1.* Attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus. *Et in revelatione S. Brigittæ promisit.* Qui me devotè in Cruce aspexerit, eum in morte ejus benignis aspiciam oculis. Stud: *Jam in hanc meditationem in corde meo exardescit ignis, sed obsecro quales precationes assumam?* ℟. *Quod mihi fuit charum hoc vobis studiosis amoris DEI relinquo persvasum. Adhuc cum essem in Scholis legendo commendationem Orationum S. Brigittæ de Passione Domini, quotidie adeò attente recitavi, ut etiam omnes memoriæ mandarem. Superveniente Sacrò Breviario cessit pia obligatio præcepto Ecclesiæ; breviores tamen devotiones quas pietas svasit, recitavi, & vobis dilectis B. Joannis Cantii Discipulis tanquam here-*

hæreditate typo expressas, reliqui sequentes. Quas frequenter, diligenter seu adeo devotè recitabitis, ut memoriæ in toto vel in parte hæreant. Utilissimum erit horum meminisse, quando ad extrema vitæ pervenietis, tenendo effigiem Passionis Domini jam tunc in pallida & tremula manu.

SALUTATIONES
Ad omnia Membra Christi Et sui ipsius omniumq; amicorum ad eundem commendatio.

SAlve tremendum cunctis potestatibus Caput Domini nostri JESU Christi, Salvatoris nostri, pro nobis spinis coronatum, & arundine percussum. Salve speciosissima Salvatoris nostri JESU Christi Facies, pro nobis sputis illita & alapis cæsa. Salvete benignissimi Domini nostri JESU Christi Salvatoris Oculi pro nobis lachrymis perfusi. Salve mellifluum Os Gutturq; suavissimum Domini nostri JESU Christi pro nobis felle & aceto potatum. Salvete Aures nobilissimæ Domini nostri JESU Christi Salvatoris pro nobis contumeliis & opprobriis affectæ. Salve Collum humile JESU Christi pro nobis colaphisatum, dorsumq; Sanctissimum pro

nobis flagellatum. Salvete venerabiles Domini nostri JESU Christi Manus & Brachia pro nobis in Cruce extensa. Salve Pectus mitissimum Domini nostri JESU Christi Salvatoris nostri pro nobis in passione conturbatum. Salve Latus gloriosum Domini nostri JESU Christi pro nobis lanceâ Militis perforatum. Salvete Domini nostri JESU Christi Salvatoris nostri misericordiæ genua, pro nobis in orationibus flexa. Salvete Domini nostri Pedes adorandi pro nobis clavis affixi. Salve totum Corpus JESU Christi pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum mortuum & sepultum. Salve Sanguis pretiosissime de Corpore Domini nostri JESU Christi, Salvatoris nostri pro nobis effuse. Salve Sanctissima Domini nostri JESU Christi Anima in Cruce pro nobis in manus Patris commendata. In eadem commendatione Tibi commendo hodie & quotidie animam vitam meam, cor & corpus meum, omnes sensus & actus meos, omnes amicos, Benefactores & consanguineos meos; animas Parentum, Fratrum, Sororum, & omnium amicorum & inimicorum meorum ut nos protegere, liberare & defendere digneris, ab omnibus insidiis inimicorum

nostro-

nostrorum, visibilium & invisibilium, nunc & in perpetuum Amen.

ORATIO
De VII. Verbis Christi.

DOmine JESU Christe, Fili DEI vivi, qui in Cruce pendens, dixisti: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt: fac ut ego amore tui parcam cunctis mihi male facientibus, Et qui dixisti Latroni: Hodie mecum eris in Paradiso; fac me ita vivere, ut in hora mortis meæ dicas mihi: Hodie mecum eris in Paradiso. Et qui dixisti Matri tuæ: Mulier ecce Filius tuus. deinde Discipulo, Ecce Mater tua, fac ut Matri tuæ me societ amor tuus, & charitas vera. Et qui dixisti, Eli Eli Lamasabathani, hoc est DEUS meus DEUS meus, ut quid dereliquisti me? fac me dicere in omni tribulatione & angustia mea: Pater mi Domine miserere mihi peccatori, & adjuva me Rex meus & Deus meus, qui tuo proprio Sanguine redemisti me. Et qui dixisti, sitio: fac ut semper sitiam te fontem aquæ vivæ. Et qui dixisti. Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Suscipe me redeuntem ad te. Qui dixisti, Consummatum est. fac ut audire merear

illam dulcissimam vocem tuam, scilicet: Veni amica mea, dilecta mea, & sponsa mea Veni ut mecum conscendas cum Angelis & Sanctis meis in Regno meo epulari, jucundari & commorari, per infinita sæcula sæculorum Amen.

Religiosus quidam (ut refert Cæsarius lib. 12. c. 51.) obtinuit à DEO gratiam migrandi ad Cælum sine Purgatorio, dicens ante Crucem sequentem Orationem.

O Domine JESU Christe, propter illam amaritudinem, quam pro me miserrimo sustinuisti in Cruce, maximè in illa hora, quando Nobilissima Anima tua egressa est de Benedicto Corpore tuo, deprecor te, miserere animæ meæ in egressu suo & perduc eam in vitam æternam Amen.

Pater noster Ave Maria.

Plurimos per vitæ decursum solebas audire tum legere rumores, non omnes tamen erant veraces ast cui nasci contigit infallibiliter quia restat mori. hic rumor veracissimus est. Tibi soli Dominus Executor post devotam susceptionem Sacramentorum ruri forsan morituro, data in manu imagine Crucifixi, jubebit æterna meditari, quia ipse tempus non habebit tecum fari, nam obsigillabit aculas tuas & cameras obserrabit. Sic ergo derelictus, respice in faciem

ciem, Christi tui, Ipse solus orphano erit adjutor, si sanus eras Passionis ejus pius contemplator. Recordaris quid hic tuus Consolator Pharisæo Simoni apud quem convivabatur exprobravit & pœnitentem Magdalenam unde laudavit. Imitare illam piè sequentia membra Christi tui osculando dicito:

O Beatæ manus pro me in Cruce extensæ tenete me in viam æternitatis euntem ne deviem à semita justitiæ & ab exoptata Patria.

O Pectus mitissimum pro nobis in Passione conturbatum propter amorem tuum morior, qui amore mei mortuus es.

O Pedes Sancti, pro me fatigati cum Maria Magdalena, procido ad vos, & rigo lacrymis cordis contriti.

Prosequere sequentia, cum gemitu.

Miserere mei DEUS secundum magnam misericordiam tuam.

Juste Judex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.
Ingemisco tanquam reus.
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.

In te Domine speravi, non confundar in æternum.

Mater

Mater Dei memento mei in hora mortis hujus.

Angele Dei qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna, precor fideliter custodi, fortiter defende & securè perduc in vitam æternam.

Propter lucrandam heu jam ultimam Indulgentiam plenariam, memorare hoc affectu finire hanc temporalem vitam. O JESU esto mihi JESUS JESUS JESUS Amen.

STUDIUM

Aliorum offensam remittendi.

DEUS permittit, ut servi sui vel fidelissimi persecutionibûs probentur, tam ut expient levia quædam peccata, tum ut majus præmium accipiant, tum deniq; ut cautiores facti, rebûs prosperis non insolescant. In omnibus persecutionibus DEUS gloriam suam & animæ tuæ salutem quærit, eas itaq; non querulo, sed grato animô patiaris. DEUS mala immittit, quòd bona neglexeris: æquum est ut qui beneficiis non intelligetur, plagìs intelligatur. *Cyprian. In omnibus accusationibus vide, utrum objecta tibi crimina commiseris. Si factorum premaris conscientiâ veniam pete à DEO. Dole non quod accuseris, sed quod aliquid commiseris, accusatione dignum. DEO*

gratias

gratias age quod ope inimici tui vitium cognoveris, cujus ignorantia mortem animæ illatura erat. Si falso accuseris, si propter bonam aliquam actionem vexeris, & lætari, & grates DEO referre debes, quod patiaris propter justitiam. Ne sis admodùm sollicitus de objecto crimine, seriùs ocyús illud diluet DEUS. In persecutionibus tuis memento, quòd sæpe filios Paterfamilias per nequissimos servos emendari jubet, cum illis hæreditatem, his compedes præparet. *S. Aug.: Inter axiomata Angelici Doctoris refertur.* Fuit aliquando iste Vir Sanctus rogatus quo inditiô homo verè Sanctus & perfectus dignosci posset. Respondit Humilitate, contemptu sui, contemptu honoris & laudis, tolerantia ignonimiæ & vituperii. Si enim (*inquit*) videris aliquem dum negligitur contemnitur, postponitur, dare sensum doloris vel indignationis, dejicere vultum nasum retrahere, rugare frontem, scito hunc non esse Sanctum non esse magnum etiamsi miracula faceret. Ostendit enim in sui neglectu suam superbiam, tristitiam, iram, impatientiam, propterea vilem se facit ac contemptibilem. Ex adverso qui gaudet suo contemptu, despectu abjectione &c. dignus est, qui ab omnibus laudetur &

vir perfectus honoretur. *Hujus virtutis & perfectionis Vir erat B.* JOANNES CANTIUS *nam in molestiis, conviciis, vexationibus, eorum quibuscum vivebat perferendis, immutabilem animi sinceritatem verbô & opere ostendebat, memor admonitionis D. Pauli* Pacem habete, & DEUS pacis & dilectionis erit vobiscum. 2. *Corinth: 13. Erat pacis mansvetudinis & charitatis mutuæ studiosissimus, nam cum aliquando in publicis disputationibus sententiam & veritatem strenue propugnasset, aut vitia?, paulo fervidius fuisset insectatus veritus, ne alicujus aut animi tranquillitatem turbasset, aut existimationem læsisset: identidem, tanquam acerbus vindex offensarum proximi hanc quotidie relegendam scripserat sibi Parænesim.*

Conturbare cave, non est placare svave,
Diffamare cave, nam revocare grave.

Tandem summa cum animi demissione singulos conveniebat obsecrando, ut veniam erratis darent. Quorsum hæc tanta sui objectio: nihil debebat legibus, loquebatur enim vera justa & plena salutis. At Prov. 18. ℣. 17 removent me ab admiratione verba in hunc sensum, an ignoras quia Justus prior est accusator sui. *Recordor quod S. Anselmus electus in Priorem Monasterii invidos Fratres ita charitate, humili-*

militate & prudentia lenivit, ut quos æmulos acceperat, sibi & DEO, amicos redderet. Confona B. JOANNIS CANTII virtus & virtuosa, novæq; adinventionis prudentia. Accusat se obnoxium cum sit in tali confessione laudabilis, ut hac accusatione & humiliatione si in cujus pectore laterent odia aut dissensiones eũ emolliat, & ad tranquillitatem mutuamq; charitatem reconciliet. æmulemur in viro perfecto mansuetudinem Spiritûs, castimoniam corporis, oris custodiam, animi puritatem, ponere frenum iræ & nodum linguæ commonere nosmetipsos patientia ad omnes quæ velut aurum in igne probat & mundat animas & conscientias, & quod majus etiam ipsa corpora ut videre est in S. Joanne Evangelista qui ob Domini Martyrium Romæ missus in ferventis olei dolium purior & vegetior exiit, quàm intraverat. S. Martini Episcopi totum corpus post mortem adeo erat pulchrum decorum, facies quoq; venusta formosa ut potiùs pueri annorum septem, quàm septuagenarii senis similitudinem referret. Quis ei hunc decorem induit investigas? R. 1mo Imitatio puerilis innocentiæ, simplicitatis, pueri enim proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt non oderunt non mentiuntur. 2do. mansuetudine & patientia qui non solùm à Duce suo

Juliano

Juliano contumeliam adhuc miles patienter tulit cùm eum ignavum militem appellarit. Sed etiam postea jam Episcopus à discipulo suo Brictio, à quo delirus habitus, Cæli suspex, insanus vocatus, *& omnibus sæpe convitiis onerabatur, nec tamen contumelias rependit, sed verbis placidis respondit.* Si Christus Judam passus est, cur ego non patiar Brictium? *Non te pigeat imitari, si optas interna & externa pulchritudine (ut ille) adornari.* Stud: *Clavum mihi Condiscipule infixisti cum de morte Sancti Martini innuisti. Utinam etiam moriatur anima mea morte justorum. Cond:* Qualis fuit (*inquit*) *August:* tua vita, mors erit ita. *Ah quid dicis? si ita foret, jam actum esset de salute mea, fateor tibi, quia peccantem me quotidie & non me pœnitentem, timor mortis & desperatio salutis conturbat me.* ℟. Diabolus & Angeli ejus ad ignem æternum sunt destinati, ipsorum tantùm *inquit Aug:* desperanda est correctio. *tu age pænitentiam, ne dixeris:* Est mihi sufficiens vita sed præpara animam tuam ad mortem. *Istam præparationem frequenter nobis in Evangelio Dominus commendat specialiter Lucæ 12.* Estote parati: quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet, *scilicet ad judicium parti-*

particulare sub morte & ad generale in fine Mundi. Stud- *Tremefactus enixè peto doce me hanc præparationem pro bona morte?* Cond: *Præsto sum voto tuo & quid in variis Authoribus legi tu collecta tene.*

Studium benè moriendi.

1. *Platonis sententia est:* Omnem sapientum vitam meditationem esse mortis: *debemus & nos igitur præmeditari, quid aliquando futuri sumus. Hier: in Epistola ad Heliod.*

2. *Sicut quilibet homo, ita & omnis Sacerdos, ibit in domum æternitatis suæ. Discessurus in longinquam Civitatem, vel Regionem, tempestivè parat ea quæ spectant ad commoditatem & necessitatem in via. Tantò magis profecturo in domum æternitatis suæ commeatus virtutum, operum misericordiæ, Spiritualium & corporalium omni diligentia præparandus est, nam de horum negligentia Judex vivorum & mortuorum Christus arguet in fine Mundi*

3. *Sequere tale Sacri Evangelii consilium:* Facite vobis amicos. *Id ipsum iterum innuit Christus Joan: 15.* Vos amici mei estis si feceritis quæ præcipio vobis. *Quæres quid præcepit?* ℞. 1mo Agite pœnitentiam. 2do

Imitationem sui: Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci, & vos faciatis. 3tio. *Amorem sui reciprocum qui manifestabitur, per varias devotiones, luculenter in hoc Libro expressas piissimè recitatas, tum per quotidianam amarissimæ Ejus Passionis meditationem, ut stimulat Apostolus:* Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem. *Hebr: 12.*

4. *Audivimus à DEO mandatum Ezechiæ Regi Isaiæ 38.* Dispone domui tuæ quia morieris tu & nos vives. *Quæ hæc dispositio? Testamentum ubi expedit condendum, debita indicanda, & solvenda, inimicitiæ deponendæ & concordia stabilienda, bona aliena restituenda, læsis satisfaciendum, servis quoq; & operariis merces assignanda deniq; præ omnibus animæ providendum de salutaribus remediis summâ curâ & industriâ.*

5. *Militia fuit vita hominis super terram, sed maximus in morte erit conflictus cum dæmone inevidentissimo, saluti animarum hoste. Ita ait Joannes in sua Apocalipsi:* Descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet. *Maximè ille solet impugnare tentationibûs contra Fidem, Spem, Charitatem, Castitatem & patientiam. Quapropter necesse est,*

ut præmunias te armis Spiritualibus Sanctarum Protestationum ut hac ratione Divino mediante auxiliô securam ac gloriosam de hostibus tuis reportes victoriam? fac igitur sequentes.

PROTESTATIONES

In Nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti Amen.

1. EGo N. Protestor in præsentia SSmæ TRINITATIS Beatissimæ Virginis MARIÆ Matris Dei, Sancti Angeli mei Custodis totiusq; Curiæ Cælestis, & in præsentia vestra Pater Spiritualis, me velle vivere & mori, sub vexillo S. Crucis ac firmiter omnia illa credere quæ tenet & credenda proponit Sancta Mater Ecclesia Catholica & Apostolica Romana.

2. Protestor, quod sperem me salvandum solùm per merita Christi, nihil præsumendo aut vani me jactando de propriis, si quæ feci operibus bonis.

3. Protestor, me nunquam desperare velle ob multitudinem peccatorum meorum, de quibus ex toto corde doleo, solùm quod offenderim Dominum DEUM, spem nihilominus concipiens obtinendi remissionem & veniam; sicut etiam Cælestem gloriam per merita Redemptoris mei;

4. Proteſtor inſuper qua ratione nunquam ulli dæmonis tentationi, aut alicui alteri cogitationi quæ ſit contraria Divinæ voluntati conſentire prætendam; unde totum me reſigno voluntati Dei, ac libenti animo accepto mortem de Sanctis ejus manibus.

5. Et in fidem horum omnium humillimè exoſculor pedes Salvatoris mei, ei offerendo meipſum, ac omnes meos cruciatus & dolores ad gloriam ipſius reponendo animam meam intra Sanctiſſimum Redemptoris mei latus, exorando ipſum, quatenus me participem faciat fructûs Paſſionis ſuæ ut ſic eum benedicam, eiq; gratias referam in ſæcula ſæculorum. Añ.

ORATIONES BREVES

Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.

Miſerere mei DEUS, quoniam infirmus ſum, ſana animam meam, quia peccavi tibi.

Domine JESU Chriſte Fili Dei Vivi, pone Paſſionem, Crucem & mortem tuam, inter Judicium tuum & animam meam.

Miſerere agonizanti ut finaliter in gratia ſanctificante perſeverem.

Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam

miſeri-

misericordiam tuam. Et secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Educ de custodia animam meam ad confitendum Nomini Tuo; me expectant justi donec retribuas mihi.

In manus tuas Dñe commendo spiritum meum, redemisti me Dñe Deus veritatis.

MARIA Mater gratiæ, dulcis Parens clementiæ, Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Monstra te esse Matrem, sumant per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus.

Pax Domini nostri JESU Christi, & virtus Passionis Ejus, & Benedictio omnium Sanctorum & custodia Angelorum, necnon suffragia omnium Electorum, sint inter me, & omnes inimicos meos visibiles & invisibiles in hac hora mortis. Amen.

Extat Liber sub Titulo: Troiakie doskonałe ná dobrą śmierć Przygotowánie, *nuper editus, cujus etiam usu spero in Domino quòd tuæ, proximorumq; saluti indubitanter succurrere posses.*

NABO-

NABOZENSTWO

Zá śmiertelnie choruiącego.

Kiedy ieden Papież miał umierać, prosił swe-go Kápellána, áby te trzy Modlitwy gdy będzie konał, zá niego mowił. On ták uczynił. Po śmierci pokazał się y podziękował, że mocą tych modlitew Chrystus Pan odpuścił mu wszystkie grzechy. Bart: O. P.

MODLITWA I.

Kyrie eleyson, Chryste eleyson, Kyrie eleyson. *Oycze nász, Zdrowaś Márya.*

PAnie JEZU Chryste, przez konánie y modlitwę Nayświęt: kiedyś się zá nas modlił ná Gorze Oliwney, gdy się pot twoy stał iako krople krwi spádáiącey ná ziemię, uprászam cię pokornie ábyś owę wielkość krwáwego potu twoiego ktoryś z smutku y serdeczney boleści obficie zá nas wylał, Oycu twemu Niebieskiemu zá wszystkie grzechy tego chorego pokazał y ofiarował. Rátuy go w konániu iego, od cięszkich uciskow y boleści śmiertelnych duszę iego boiącą się Sądu spráwiedliwego twego Boskiego, pociesz, á potym od karánia surowego, ktore zá grzechy swoie zásłużył, wybaw. Ktory żyiesz y kroluiesz &c.

MO-

MODLITWA II.

Kyrie eleyſon, Chryſte eleyſon, Kyrie eleyſon. *Oycze naß, Zdrowáś Márya.*

PAnie JEZU Chryſte, ktoryś zá nas ná Krzyżu raczył konáć y umrzeć, proſzę cię ábyś wſzyſtkie gorzkości mąk cięſzkich twoich, y karánia ktoreś zá nas grzeſznych przy męce twoiey, á oſobliwie ná Krzyżu w onę godzinę, kiedy duſzá twoia Nayświęt: rozłączáłá ſię z ciałem podiął, ofiarowáć y pokazáć raczył Bogu Oycu Wſzech mogącemu zá tego chorego, y wybaw go w godzinę śmierci od wſzyſtkich mąk, ktoreby powinien podiąć zá grzechy ſwoie. Ktory żyieſz y kroluieſz &c.

MODLITWA III.

Kyrie eleyſon, Chryſte eleyſon, Kyrie eleyſon, *Oycze náß, Zdrowáś Márya.*

PAnie JEZU Chryſte, ktoryś przez uſtá Prorockie powiedział, miłością wieczną ukochałem ćię dla tego pociągnąłem ćię lituiąc nád tobą. Proſzę ćię ábyś tęż miłość, ktora ćię z Niebá ná źiemię dla wyćierpienia wſzyſtkich mąk gorzkich twoich ściągnełá ofiarowáć y pokazáć raczył Bogu Oycu Wſzechmogącemu zá duſzę tego chorego, á wybaw go od wſzyſtkich mąk, ktorych zá grzechy ſwoie boi ſię cierpieć.

pieć. Zbaw duszę iego w godzinę wyiścia, otworz iey fortę żywotá wiecznego, y spraw żeby się weseliła z Swiętemi twoiemi w chwale wieczney. Nayłáskáwszy Pánie JEZU Chryste, ktoryś nas odkupił przenaydroższą Krwią twoią, zmiłuy się nád duszą tego chorego, y nád duszámi tey godźiny konáiących, y racz ie wprowádzić do záwsze kwitnących mieysc Rayskich, á spraw to, áby tobie żyłá duszá tego chorego miłością nierozdzielną, ktora od ciebie y od wybránych twoich oddalona nigdy bydź nie może. Ktory z Bogiem Oycem y z Duchem S. żyiesz &c.

Te Modlitwy może kto chce y zá siebie samego, będąc ieszcze zdrowym, ná uproszenie dobrey śmierci, mowić choćby codzień.

NOn mireris autem candide Lector, quod ultimum Studium proposui de morte, notum enim est, quia mors ultima linea rerum. Morte lites, comites, calumniæ, perturbationes, divitiæ, honores & cunctæ hominum solicitudines finiuntur. Sic Dominus noster JESUS Christus omnes de se Prophetias, & labores circa salutem nostram amara morte finiendo, dixit: Consummatum est. *Cui cum DEO Patre, & S. Spiritu Benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum Amen.*

INDEX PRECATIONUM

Litera F. designat Folium.

Oratio

INDEX

INDEX RERUM

In hoc opere contentarum

Litera *F.* designat Folium.

A.

B.

Fœmina

G

H

I

B. Ioan.

Iudicio

N

O

O

P

Peccan-

Reci-

Sacer-

ERRORES SIC CORRIGE.

discere *Fol:*	3.	disceres.
potestatil	3	potestati.
iteris	3	literis.
passionem	3	passionum.
Condisciplus	12	Condisci-pulus.
prrtiosissimo	15	pretiosissimo
perctiones	15	peractiones
Matem	16	Matrem.
pecipio	17	percipio.
incipentium	24	incipientiū
Timoh:	28	Timoth:
adhnc	29	adhuc.
benedia	29	benedicta.
Ecclesiastica rum	122	Ecclesiasti-corum.
exepandi	126	expandi.
incutit	136	incubuit.
sic cineæci	144	siccine æc.
viarium	146	viarum.
exteriobus	147	exterioribꝰ
monitos	151	munitos.
traxerit	154	traxerint.
scitellæ	154	scintillæ.
qui cum	155	quidem.
Exercitium	155	Exercituū.
Mulierum	155	Mulierem,
Misere	159	Miserere
interminabis	160	intremina-bilis.
cum	160	eam.

augendis	160	agendis.
&	160	ut
emines	162	eminens.
NòéParoche	162	NeoParo-che?
Nbservatio	164	Observatio
propest	165	prodest.
adversari	166	adversarii
reservatur	167	reservantur
Theogiæ	171	Theologiæ,
nunc	172	num
vostigiis	174	vestigiis
nimium	177	nimiam.
moneris	179	muneris.
necessita	180	necessitate.
nostrs	180	nostros.
Recreætio	180	Recreatio.
induria	184	industria.
Coceptiòne	185	Conceptio
Domivi	188	Domini (ne
viresenntur	193	vincuntur
invitatur	195	invitat.
conlavi	195	conclavi.
præ	196	præsentia
Religisæ	196	Religiosæ.
Perunt	198	Pereunt.
Communio nem	260	Confessio-nem.
oculcs	285	oculis.
necessant	185	nec cessant
tradit	286	tradidit.

Plures cùm invenies, charitate còoperies.

